

**Operum omnium tomus primus[-quartus] / [Bernardino Ramazzini].**

**Contributors**

Ramazzini, Bernardino, 1633-1714

**Publication/Creation**

Patavii : J.B. Conzatti, 1718.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/c6zyywxj>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

16



~~del~~  
~~del~~  
~~del~~

~~24~~

At 44

C  
an. 155



The Library of the  
Wellcome Institute for  
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY  
OF  
LONDON  
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

RAMAZZINI, B.

Vol. 4



65715/A



# BERNARDINI RAMAZZINI

OPERUM OMNIUM  
TOMUS QUARTUS,

COMPLECTENS

OMNES ORATIONES,

ET

DISSERTATIONES,

*Quas ipse habuit , tum in Mutinensi Academia ,  
tum in Patavino Lyceo.*



PATAVII, MDCCXVIII.

Ex Typographia Jo. Baptistæ Conzatti.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

ROYAL MEDICAL SOCIETY OF LONDON




BERNARDINI  
RAMAZZINI

OPUS OMNIUM  
TOMUS QUARTUS

COMPOSITUS  
OMNES ORATIONES

ET  
DISSECTATIONES

Quamvis habet, cum in Medicinis  
et in Chirurgia



PATAVINA MEDICINA  
LITHOGRAPHIA  
SUPERIORUM



# I N D E X

ORATIONUM, & DISSERTATIONUM  
BERNARDINI RAMAZZINI,

Quæ in hoc Volumine continentur.

## O R A T I O P R I M A.

**I**N solemni Mutinensis Academiae instauratione.  
ne. Pag. 3

## O R A T I O I I.

*Secularis, quam Auctor primam habuit in  
Patavino Lyceo anno 1700. 12. Decembris. 29*

## O R A T I O I I I.

*Feliciùs curari à Medico popularem Gentem,  
quàm Nobiles, & Principes Viros. 59*

## O R A T I O I V.

*Veram Februm Theoriam, & Praxim inter ea,  
quæ adhuc desiderantur esse recensendam. 87*

## O R A T I O V.

*Medicam Artem Navigatoriæ similem esse. 107*

ORA-



## ORATIO VI.

*Multum conferre Practico Medico, nosce; qualis sit de se communis hominum opinio.* 130

## ORATIO VII.

*Antiquitatis, & novitatis studio Medicum perfici.* 149

## ORATIO VIII.

*In Medicinà faciendà Remediorum simplicitatem operosa compositioni præferendam.* 169

## ORATIO IX.

*Theoriæ Medicæ nullum jus esse, ut supra Practicam Dominatum affectet.* 189

## ORATIO X.

*De Medicina ex Sacris literis eruenda, nunc primum edita.* 209

## ORATIO XI.

*Hyemalis constitutio algidissima anni 1709.* 239

## ORATIO XII.

*Medicinam cepisse negligi, cum magis erat æstimanda.* 263

## ORATIO XIII.

*Seu dissertatio de contagiosa epidemia, quæ in Pa-*



*Patavino Agro, & totà ferè Venetà ditione  
in Boves irrepsit.* 287

ORATIO XIV.

*Medicum valetudinarium aptiorem esse ad Me-  
dicinam faciendam, quàm alterum inculpa-  
tà valetudine degentem.* 325

ORATIO XV.

*De Peste Vienenfi.* 343

ORATIO XVI.

*Medicam Peregrinationem, si non necessariam,  
saltem perutilem ad artis peritiam, & nomi-  
nis existimationem comparandam.* 361





# NOI REFFORMATORI

## Dello Studio di Padova.

**H** Avendo veduto per la Fede di revisione, & approbatione del P. F. Vincenzo Maria Mazzoleni Inquisitore nel Libro intitolato: *Orationi di Bernardino Ramazzini Publico Professor dello Studio di Padoa*, non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Principi, & buoni costumi: concedemo Licenza à Gio: Battista Conzati Stampatore, che possi esser stampato, osservando gl'ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librerie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 20. Luglio 1708.

(  
( Girolamo Venier K. Proc. Ref.  
( Marin Zorzi Ref.

*Agostino Gadaldini Segret.*

ORA-



# ORATIO

## PRIMA

*In Solemni Mutinensis Academiae  
Instauratione*

SERENISSIMO FRANCISCO II.  
Mutinæ Regii &c. Duci X.



Tſi jam ſatis certum , & inconcuſſum eſt , *Sereniſſima Celſitudo* , immortalẽ hunc , quo vivimus animum , à naturæ elementaris confinio eſſe quàm maximè diſſitum , utpotè *Divinæ particulam auræ* , qualem olim ſaris religioſè *Venuſinus Poeta* deſcripſit ; illum tamen huic corpori , quod animat , & circumfert , adeò cognatis legibus devinxit idem , qui condidit *Divinus Opifex* , ut illius affectus ex *Platonis effato* nunquam clariùs eluceſcant , quàm dum ſub ſpecie aliqua corporalis mali adumbrantur . Geminæ ſunt malorum ſpe-



cies ( aiebat ille Virorum sapientissimus ) quæ à statu melioris vitæ humana corpora quandoque deturbant , Morbus scilicet , & Turpitude ; ac profectò , quis unquam vel Stoicæ mentis , ibit inficias , quin in classe , malorum sint morbi , cùm nihil magis optandum , quàm ut sit *mens sana in corpore sano* ? Corporis verò turpitudinem cur in eodem censu referre non liceat ; Quotus enim quisque pro corporis elegantia , ac venustate Gratiis , ac Naturæ non litasset ? Totidem igitur ex Platonis decreto animis nostris possunt inesse mala ; corporali ægrotudini respondet in animo improbitas , turpitudini ignorantia . Ægrotat igitur , Auditores Sapientissimi , animus noster , quoties illum occupavit improbitas ; febriculosus est , cum à luxuria peruritur , ictericus , cum livore suffunditur , tabidus , cum voluptate marcescit , distortus , cum ab æquitate declinat , repandus , cum ambitione superbit , gibbus , cum ad terrena propendet , quare satyrico æstro percitus exclamabat olim Volaterranus Vates .

*O curvæ in terras animæ cælestium inanes .*

Verùm sicuti ægrum , ac languentem animum , si sit improbus , non ineptè quis dixerit , ita quoque deformem , si sit ignorans ,



5

rans , non immeritò pronuntiabit . Exulet enim ab illo liberalium disciplinarum decor , & ornamentum , quid turpius fingi potest , quid fædius ? Ignoret enim quot , & quanta naturalium rerum arcana referarit huc usque Philosophia , non imaginaria illa , & phantastica , quæ tam curiosè , ac Anatomica penè indagine Ens rationis ( sit verbo venia ) in partes , quas non habet , diffecat , sed illa , quæ Naturæ indagatrix rerum rationes , & causas exquirat ; quam invenustus prodibit in publicum , quam inamœnus ? Ignoret , quanta sit numerorum dignitas & potestas , quomodo cælestium corporum cursus , recursus , errores deprehendat Syderalis scientia , quam facilimè quamcunque formam in aliam reddat Geometria , quam pusilla vi ingentia pondera suspendat Statica , quot in facultate Optica , Catoptrica , Hydraulica , Pneumonica spectentur prodigia , quam inelegans Sapientiorum oculis apparebit , quam illiberalis ? Ignoret , quot nova quotidie Exercitationes Jatrophyicæ , Hermeticæ , & Anatomicæ Mundo Literario aperiant phænomena ; ignoret , quibus legibus , quibus sanctionibus , terrarum Orbem regat Jurisprudentia : ignoret denique Divinitatis arcana , quæ luminum Pater sola dignatio-



ne suæ pietatis mortalium mentibus obcæcatis, aperuit, quantum præferet deformitatis, quantum horroris? At quorsum hæc, inquiet aliquis, nisi quoque conveniens afferatur medela ad has pestes animorum eliminandas? Rectè quidem; quemadmodum igitur ad profligandos morbos reperta est Medica facultas, & ad corporis decorationem excolendam instituta fuit Ars Gymnastica, cum homines in Thermis publicè exercerentur, lavarentur, ungerentur, ità quoque ad animorum ægritudinem propulsandam, & deformitatem emendandam publica majores nostri aperuerunt Gymnasia, ubi ingenua Juventus liberè, ac sine ullo gravioris supercilii metu exerceretur, desudaret, ac velut publicis in Thermis improbitatis, & ignorantiaë sordes elueret. Jam videtis, Auditores Ornatissimi, quid velim, quid animo intendam, non nisi profectò, ut in hac mea Inaugurali Oratione, dum tanta solemnitate hujus Lycæi panduntur fores, non secus, ac si bifrontis Jani referaretur Templum, non nisi inquam, ut summatim expendam, quantæ dignitatis, quantæ utilitatis futurum sit hoc Athenæum, non solum huic nobilissimæ, & fortunatissimæ Civitati, verum etiam universæ Ditioni, quam

*Esten.*



*Estenses Aquila* sub grandium alarum umbra  
tutantur, ac foveant.

Adeò antiqua, Viri Sapientissimi, sunt li-  
terarum primordia, ut in ipso Mundi exordio  
per nondum calcatam Signiferi Orbitam vix  
unum gradum, vel alterum lucis Sol dispen-  
sator absolvisset, cum Terris divinarum, hu-  
manarumque rerum Sapientia contemplatrix  
illuxit. Etenim cum Sapientissimus ille Arti-  
fex primum humani generis Parentem fictili  
magisterio plasmasset, eodem auræ vivifican-  
tis afflatu, & animam, ut viveret, & Sa-  
pientiam, ut Conditoris Opera contemplare-  
tur, inspiravit. Hinc seminaria transfusione,  
ac veluti per traducem si non perfecta illa,  
ac tam distincta rerum cognitio, saltem inna-  
ta discendi cupiditas continuato ductu descen-  
dit in posteros. Nulla idcirco tempestate,  
tam barbaræ, ac à civili cultu adeò semotæ  
gentes extitere unquam, quæ, hoc Naturæ  
genio suadente, literarum Studium non ex-  
coluerint; & Academies pro erudienda Juven-  
tute non aperuerint. Quandoquidem enim  
Divinus ille Opifex eadem nos penè corpora-  
li sarcina cum cæteris animantibus instructos  
ab iisdem sola ratione sejunxit, ut, non mo-  
re ferarum in sylvis, sed in Urbibus sociali



vita degamus, quodnam quæso aptius est instrumentum, quod & ad societatem magis alliciat, & horum asperitatem facilius emolliat, quàm studium liberalium disciplinarum.

*Scilicet ingenuas didicisse fideliter artes,*

*Emollit mores, nec finit esse feros.*

Nimis à scopo aberrarem, si antiqua vellem historiarum monumenta evolvere, ac referre, quot, & quales Academias instituerit quæque regio, & quàm vetusta sit consuetudo, loca habuisse studiis destinata. Liceat mihi tamen paulisper peregrinari, & injucunda recordatione nostratium Academiarum vetus aliquod specimem vobis exhibere. Primò itaque in ipso Asiæ vestibulo antiquissima apud Judæos pro instituenda Juventute se se offert Academia, quam sacri Codices positam fuisse memorant in Civitate *Dabir* dicta, quæ priùs *Cariat Sepher* vocabatur, id est Civitas literarum. Insigni quoque fama priscis illis temporibus claruerunt Ephesus, & Tarsus, ac in Phœnicia Barutus, quam Urbem olim Imperatores legum Nutricem appellavere, cum in illa Jus Civile Romanorum doceretur. Quod si penitiores Orientis partes perlustrare placeat, celeberrima occurrent Gymnasia, quibus præerant Gymnosophistæ, quos Brach-

man-



mannas appellabant , quemadmodum etiam apud novi Orbis incolas non pauca observabimus Scholarum , quæ nostras æmulentur , specimina .

Sed quid de Africa referam , quæ anteaetis sæculis tot peperit ingeniorum monstra ? Ægyptus enim virtutum æquè ferax , ac segelum , quot aluit præclarissimas Civitates , quæ solidioris doctrinæ ubertatem toti penè Mundo dispensarunt ?

Dicat præ cæteris , quæ in Ægypto olim maximè claruit *Heliopolis* , id est Civitas Solis , ( nunc proh dolor ! Turcicæ Lunæ devota solitudo ) ex qua abditioris Philosophiæ prima lumina suffuratos esse ajunt Homerum , Platonem , Solonem , primæ magnitudinis Sydera , quæ in Cœlo Sapientiæ refulserint . Dicat Carthago illa Romani nominis æmula , literarum non minùs , quàm armorum venerabilis Magistra , quæ optimarum artium studiis ità inclaruit , ut cum ipso Latium ausa fuerit de armorum , & eloquentiæ primatu contendere . Sed ut propiora nobis , quæ suggerit Europa nostra , contemplemur , subeat animos vestros solius Græciæ recordatio , ac præcipuè Athenarum , quam Civitatem meritò dixere nonnulli Græciæ Græciam ,

ex



ex qua velut fonte Sapiencia defluxit in Tiberim .

Solum itaque Athenarum nomen pro laudum compendio sufficiat, quandoquidem, quæ magis inter nos excellunt Academiæ, multum sibi adsciscant decoris, si fronte præferant titulum Athenæi. Non uni tamen Græciæ concessum, ut sola diceretur omnium disciplinarum Altrix, & Magistra, nam Galliæ sua non defuere Lyceæ, & Academiæ, qualis fuit Massiliensis, quam Tacitus appellavit Studiorum Magistram, & Lugdunensis, ubi Caligulam aram erexisse tradunt, ad quam fierent quotannis græcæ, ac latinæ facundiæ certamina, ac victi poena, ut si maximè displicuisset, scripta sua spongia, vel lingua deleret, hic mallet in proximo flumine demergi; unde *Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram* subito occupabatur pallore, non secus ac ego expallui, ac inhorui coram tam erudito Confessu dicturus. Apud Hispanos quoque Oscæ Urbis amplissimæ, Sertorium eruditum exulem Romanum publicas Scholas aperuisse, scientissimis Præceptoribus magno stipendio conductis, historiæ monumenta testantur, ut Hispanam Juventutem hoc beneficio sibi firmius obstringeret. Sed cur tandiù ex externis

nis



nis immoror ? An priscis istis temporibus habuit Italia nostra Gymnasia , quæ Provincia- libus tum celebritate , tum vetustate fasces submitterent ? Antequam Romanum nomen Mundo inclaresceret , Pythagoram in extre- ma Italiæ ora, circa Metopontum, Heracleam- que, & Crotonem Juvenum æmulantium stu- dia coetus habuisse abundè constat? postquam verò Roma jam satis gloriæ armis quæsitum esse prospiceret ; tunc literis Asylum aperuit, quod contigit secundo bello punico , cum

*Musa pennato gradu.*

*Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram.*

Primùm equidem aluit Roma tantummodò pu- blicos Rhetores , & Jurisconsultos , sed post- modùm etiam reliquis Professoribus publica stipendia constituit , quæ usque ad Simmachi ævum mansere , cum Imperii labente Maje- state , Romanæ Juventutis Magistris detracta sunt subsidia solemnis alimonix. Hinc factum, ut varia postmodùm in Italia emergerent Gy- mnasia , ut Bononiense , Patavinum, Ticinen- se , Perusinum , Ferrariense , Pisanum, Par- mense ; parum abfuit, Viri Sapientissimi, quin & his quoque immiscuerim Mutinense Gym- nasium . Sed cur in illorum censu , & nostrum quoque non referam ? An quia novum alicui



videbitur? At si novitas sola spectetur, hæc nihil officit; *Principem* enim habemus generosissimum, cui arduum non est (ut Plinii verbis ad Vespasianum Imperatorem utar) cui inquam arduum non est, *vestutis novitatem dare, novis auctoritatem, obscuris lucem, obsoletis nitorem, fastiditis gratiam, omnibus naturam, & naturæ suæ omnia*. Verùm si rem exactè perpendamus, non adeò novum, ut quis putat, est Mutinense Gymnasium; Hæc enim Civitas Bononiæ æmula, cum olim non tam pro finibus, quàm pro gloria dimicasset, prima jecit istius Universitatis fundamenta, accersitis ad hoc opus Clarissimis Viris, Pileo, & Azone, quos Mutinæ Jurisprudentiam tradidisse satis constat, honorifico stipendio illis constituto, & publico Palatio eisdem pro Schola concessio; eleganti fanè spectaculo, cum ubi Jus diceretur, ibi quoque doceretur; cum hinc in Tribunali Prætor sederet, hinc staret in Exedra Præceptor, ac uterque Sententias pronunciaret, hoc tamen discrimine, quòd hic modò damnans, modò absolvens, hunc tristem, illum hilarem dimitteret, alter legum ænigmata solvendo, unumquemque lætiores, quia peritiores, remitteret. Quare si justa appellatione unumquodque, quale prorsus est,

ap-



appellare volumus, non est, quod quispiam  
 putet, novam Academiam in hac Civitate in-  
 stitui, sed antiquam restitui, non jeci funda-  
 menta, sed multò antè jactis ædificium su-  
 perstrui. Equidem res novas condere, no-  
 vas Ædes, nova Theatra, nova Tempia, splen-  
 didum, ac magnificum est, at vetusta jam  
 collapsa reparare, prorsus religiosum est. Cùm  
 olim a Gothica barbarie Urbs hæc everfa pe-  
 nitus fuisset, ac propriis ruderibus penè se-  
 pulta jaceret, magna contentione agebatur  
 inter Cives, qui excidio supererant de no-  
 va Urbe alibi ædificanda; vicit Pietas, ut  
 hoc ipso loco, quo priùs steterat, cum  
 P. R. Colonia deducta est, instauraretur.  
 Quamobrem ut Majorum nostrorum tenta-  
 men Universitatem in hac Civitate stabi-  
 liendi jam impleamus, pietas, ac reverentia  
 exposcunt, nunc potissimùm quando Piissimus  
 Princeps assurgens hoc Opus tàm hilari vultu  
 intuetur, ac ut rem sibi acceptissimam tanto  
 favore prosequitur. Ecquid enim tali sub Prin-  
 cipe sperare non liceat? Nùm suspicari fas est,  
 quin gloriosissimum Avum sit fortiter æmula-  
 turus, quem jam sibi proposuit exemplar?  
 Æmulabitur profectò illius, & pace, & bello  
 præclarissima gesta, nec illo se minorem, aut  
 se-



secundum nisi solo nomine præstabit. *Franciscus primus*, Princeps gloriosissimi nominis, qui dum esset turbulentis bellis implicitus, inter armorum strepitus studuit semper, ut solidiorem pacem populis suis redderet, ac dum pace frueretur, ità se se armavit, ut hostium impetus, cum lacefferetur, repelleret, pulcherrimam, & munitissimam Arcem, condidit, hujus Urbis Ornamentum, & Tutamen, Præstantiorem Arcem, hoc scilicet literarum Asylum, *Monimentum eræ perennius*, perficiet *Franciscus alter*, haud dispari sænore, & perpetuæ laudis, & gloriæ. Binæ igitur Arces pro Civitatis hujus tutela stabunt in posterum, utraque condita sub auspiciatissimo Francisci nomine. Sic prior illa belligeri Martis erit Domicilium, hæc posterior Minervæ Sacrum, illa gentis armatæ Hospitium, hæc Togatæ; illa horrorem spirans, hæc amoenitatem; illa fossis, & Vallo munita, hæc in propugnaculum Templum habens, ubi colitur literis propitium Numen; illa in murorum ambitu, seu penè tota extra muros posita; hæc in medio Civitatis, quia Cor, imò Anima ipsius Civitatis existit.

Hoc autem inest discrimen, quòd ad illam difficilis, ac non sine periculo est accessus, Ne-



mo illuc infert pedem nisi nomen aperiat , & per medios armatos milites inermis incedat , nec licet cuiquam illius penetralia , & Armenta nisi summo favore introspicere . In hanc Musarum Arcem facilis , ac securus est ingressus ; patent Valvæ ; nullæ hic nocturnæ excubiæ , nulli hic ferro armati custodes ; quia nihil est , quod hic quisquam furripiat , & asportet , præter eruditam supellectilem , & Ornamenta virtutum , quæ summa liberalitate vel immerentibus dispensantur .

Nec irrideat quisquam , quasi parùm aptè Gymnasium cum Arce contulerim , nam vero verius est , esse publicas Academias Civitatum firmissima præsidia , neque enim credendum est in duplici , vel triplici murorum ordine positam esse Urbium securitatem , sed in Civium prudentia , & consilio . Cùm olim sapientissimus Legislator Lycurgus de Spartanorum muris interrogaretur , respondisse fertur , non esse expertem muri Urbem illam , quam non laterum , sed Virorum corona ambiret . Eadem fermè ratione Homericus ille Agamemnon , non sibi plures Ajaces , aut Achilles optavit , ut hostica Civitate potiretur , sed decem Consultores , qualis esset Nestor , omnium Græcorum prudentissimus . Gignunt autem  
tem



tem potissimum hujusmodi notæ Viros Academiae, in quibus liberalia studia excoluntur cum sint quædam veluti Promptuaria, è quibus magni Principes solent educere, quos volunt ad summa magisteria provehere.

Suppeterent mihi satis abundè pro hac Veritate firmanda quàm plurima exempla; at unum sufficiat à Parisiensi Academia petitum. Cum sublato Regum Longobardorum nomine Carolus ille ex rebus feliciter actis, & auctis cognomento Magnus libertatem Italiae vindicasset, omnes literas, omnem doctrinam revexit in Galliam, novum triumphi genus commentus, cum quotquot Romæ, ac universa Italia fama clarent doctissimi Viri secum Gallicus ille Alcides aurea munerum catena devinctos traheret, ut Parisiis celeberrimæ Academiae jaceret fundamenta, quæ postmodum esset veluti Mater coeterarum. Hæc fuit Arx potissima, hoc Palladium, quod tantus Rex, ac Imperator, pro perpetuæ incolumitatis auctoramento in magna illa Civitate constituit; norat quippè nullum firmitus excogitari posse præsidium, quod magis præstet, tum ad Urbium securitatem stabiliendam, tum Regnorum fortunam provehendam. Neque illum sua fefellit opinio. Unde enim amplissimi Gallia-



liarum Regni tam perennis felicitas? Undè Francorum Regibus tantus semper ad tot secula supervenit Heroum proventus? Undè tot Ulisses, tot Nestores continuò educit, qui nunc vivit, & sibi viam sternit ad immortalitatem Ludovicus XIII? Non nisi profectò ex Equo illo Trojano, ex illo Literatorum Athenæo, ubi mille amulsis, *non deest aurea messis.*

Quantum porrò ad reparandas Urbes ab everfore Marte pessundatas conferant hæc Palladi dicata Sacraria, neminem latere arbitror; quod si id quoque exemplis roborandum esset, præter externa, non pauca nobis suggereret Italia nostra. Cum ex diuturno, eoque asperrimo bello adeò graviter afflicta fuisset Pisana Civitas, ut squallore obsita, Civibus vacua, magnæ potius solitudinis speciem præferret, tam miserandus illius aspectus Magnanimum *Laurentium Medicem* impulit, ut Urbem antiquissimam *Hetruriæ* redderet, nam redivivus ille Literatorum *Mæcenæ*, nobilissimo instituto Lyceo, Pisis addidit & *Præsidium*, & *Decus*, novum libertatis genus pro veteri amissa rependens, ut quæ tam celebris Respublica tandiù, ac tam amplum mari præsertim imperium, armis exercuerat, exindè



facta Literatorum Respublica, præside Sapien-  
tia, *Dominari in cætera posset.*

Quamvis autem hic non agatur, Audito-  
res Ornatissimi, de Urbe nostra reparanda,  
cum nihil damni prorsus ex antea actis bellis  
senferit, cum Gallici Jovis fulminum Minister  
Ales Estensis aliò bellorum tempestates aver-  
terit, haud modicum tamen dignitatis, &  
splendoris Mutinæ triumphali palmarum mes-  
se onustæ adjicient Pacis ornamenta, ac po-  
tissimum hujus Lycei tam feliciter inchoata  
reparatio. Susplicari autem nequaquam licet,  
quin majora in dies incrementa suscepturum  
sit tam eximium Opus, cujus fundamenta je-  
cit Religiosa pietas, & cuius Valvis promi-  
nent Estenses Aquilæ, quæ non nisi in subli-  
mi, ac excelso loco figunt pedes. Neque  
enim existimandum est diù mensuram hanc,  
quam prospicimus Lycei formam, quæ profe-  
ctò satis ampla est, qualis debetur initiato  
opeti, sed non quanta opus est pro futura  
illius magnitudine, quam licet ominari ex so-  
la Principis magnanimitate. Proferet ille pro-  
culdubio illius pomæria, ampliora reddet  
Atria, ampliores Aulas, cum major erit Au-  
ditorum confluxus, cum longior Lectorum  
nomenclatura. Plures quidem in cæteris  
Gym-



Gymnasiis numerantur Exedrae, & Praeceptores, at in nostro, numeri damnum pensat doctissimorum Virorum in omni disciplinarum genere Virtus, ac praestantia, quorum cætui cum me adscriptum esse animadverto, rubore suffundor. Non admodum tamen longè accersendos Praeceptores esse crediderim, quotiescumque illorum numerum adaugere Ferax omni ævo fuit semper hæc Civitas praestantissimorum ingeniorum, nec licet opinari, quod Mutina, quæ aliàs primariis Academiis tot non infimi subsellii Professores suppeditavit, nunc aliundè cogatur exoticam Sapientiam emendicare.

Nutrit olim hæc Civitas, ac postmodum Bononiensi Archigymnasio commodavit Nicolaum Mattarellum Bartoli Praeceptorem, Petrum Rocham Medicum praestantissimum, Paulum Caloram Astronomum peritissimum, Carolum Sigonium Virum eruditissimum Ferrariensi Scholæ, Bartholomæum Bellincinum, & Joannem Sadoletum, J.C. Excellentissimos, Pisano Lyceo Gabrielem Fallopium Anatomie restauratorem, & Ludovicum Scapinellum Virum Oculatissimum, Patavino Athenæo, præter multos alios, Geminianum Montanarium adhuc viventem, Mathefeos Professore ce-



leberrimum . Suppetent igitur ex nostro penu Literati Viri , suppetet ex Urbe ipsa , & ex indigenis honestissima Juventus , etiam si externa non accedat . Verum & externam quoque ad hunc Sapientiæ fontem allicient Principis favor , Mutinensium comitas, aeris salubritas , omnium rerum affluentia , omne genus oblectamenti , & quod præcipuum erit incitamentum doctissimorum virorum nomen, quibus utique pro viribus elogia contexerem, nisi illorum modestiæ nimis onerosa censerem .

Hæc, & majora in hujus nostri Lycei natalitia celebritate libet auspicari , obstetricantibus præsertim Estensibus Aquilis , quæ grandes alas expandunt , non solum ut foveant , sed ut provocent ad volatum . Hinc spes affulget , ut hæc Civitas priscum splendorem sibi vindicet ; ac quemadmodum olim Eloquentiæ Parens honestavit illam titulo splendidissimæ P.R. Coloniae , ita imposterum appellanda sit amœnissima Literatorum Colonia . Atque ut hæc mea impleantur auspicia, ne quis putet exigui annorum Chiliadem ; sospitent modò nobis Sydera Principem nostrum , ac dent illi ætatem , quam & ipse meretur , & nos optamus , quam citissimè  
sa.



saturabuntur vota nostra . Scit enim ille , quomodò lentos successus temporum redigere possit in compendium , & quomodo integri seculi futura maturanda sit vel solius anni curriculo . Novit ille, in quantum hujus Civitatis commodum cessura sit hujus Lycei instauratio, quam minori impendio , quanta alacritate animi deposituri sint Parentes liberos suos in sinu hujus Literarum Nutricis, seu Matris , ut hinc hauriant solidiora alimenta Virtutum. Ac profectò quanta licebit illis animi quiete perfrui : quam dulces somnos capeffere , dum ipsi succurret , esse propria pignora sub illius oculis , cujus aures suavius ferit vox Parentis , quam Principis .

Sed jam video , qualia sint vota vestra . Religiosi Viri , qui hujus Gymnasii jecistis fundamenta , & ad hanc formam provexistis , attendunt procul dubio aures vestrae , nùm Principis benignitatem deprecet, pro facultate impetranda à S. Cæsaris Majestate , ut Doctorali Laurea in hoc Lyceo decorari possint, qui studiorum metam attigerint . Absit, ut hoc exposcam à prudentissimo Principe ; Novit ille satis , superque, quid deceat , quid dedeceat . Non enim ipsum latet , quàm esset incongruum , ut qui sub hoc Cœlo , in hoc solo de-



studasset in excolenda virtute, alibi postea precariam gloriæ messem exquireret : quàm indecorum, ut qui in hac literaria palæstra legitimè decertasset, in alia postmodum coronaretur . Cura itaque Doctoratus Insignia ab Aula Cæsaris impetrandi ipsura manet, cui jam ab initio sui regiminis propositum fuit, ut nullum habeant egregium Atestini fastus, quod non imitetur exemplum . Factum satis insigne, ac memoratu dignum hic apponam, ut potius sollicitudinem omnem vobis adinam, quam ut ipsum memoriæ Principis regeram, qui quotidie in annosis suorum Majorum Imaginibus illorum splendidissima legit facinora .

Albertus secundus, Ferrariensium X. Princeps, cum non solum Aulam, sed & Tempia, & Theatra, & Fora Martis pompis præpedita prospiceret, non indecorum credidit, si Estensi familiæ adiceret Togæ ornamenta . Gymnasium itaque Ferrariæ aperuit, quod ut firmitus stabiliret, Romam ad Bonifacium IX. Pontif. Max. cum C.D. nobilissimis Equitibus profectus est, ubi honorificè exceptus amplissimum Diploma obtinuit, quod adhuc videre est Ferrariæ, in fronte majoris Templi aureis characteribus conscriptum . Vereri autem non oportet, quin Principis nostri Virtu.



tutem *Avunculus excitet Hector, cum non proge-*  
*nerent Aquila Columbas.* Præveniet itaque vo-  
 ta vestra, & quidquid ad summum decus, &  
 complementum hujus operis spectabit, festina-  
 ta generositate perficiet. Ubi enim vox pu-  
 blicæ Scholæ illius perstrinxit aures, illam  
 subito designavit in Plantarium, ex quo edu-  
 ceret Oratores, Poetas, Philosophos, Ma-  
 thematicos, Archiatros, Jurisconsultos, Theo-  
 logos, atque etiam ipsos Armorum Duces.  
 Quid enim arma sine literis? Qua spe victo-  
 riæ Dux ut ut fortis, ac strenuus aciem re-  
 gat Martis in campo, nisi Pallas affideat arma-  
 ta consilio? Quotquot igitur usui erunt, ut  
 vel manu, vel consilio profint, hinc depromer,  
 ut aliquando ad huius Lycei fores inscriben-  
 da sit hæc Epigraphe: *Hac iter ad Superos.* Quis  
 igitur nostrorum temporum felicitati non gra-  
 tuletur, ac præsertim Principis, cujus gloriæ  
 tantum interest, ut tamdiu stet, ac vigeat hoc  
 Gymnasium, quamdiu illi optabile est, ut sui  
 ipsius nomen in posterorum memoria perdu-  
 ret? Non desunt equidem Principibus Viris,  
 dum vitali hac aura fruuntur Præcones, &  
 Vates, qui illorum gesta ad sydera extollant.  
 Gemunt quotidie Præla sub incumbente pres-  
 sura; perstrepunt ad ravim usque *summi, mi-*



nimique *Poeta*, ac palam videre est per omnium manus folia, & Poetarum flores *Inscriptos nomina Regum*. Postquam verò occubuerint, ac regio fulgori sepulcrales umbræ successerint, obmutescunt Musæ, ac paulatim tam decantata nomina obsolescunt. Eos verò Principes, qui vel novas Academias instituerint, vel collapsas instaurarint, superstes manet etiam post mortem nominis immortalitas. Sic etiam nunc celebrat in Hispania Salmaticensis Academia Alphonsum octavum Castellæ Regem, in Gallia Parisiensis *Carolus Magnus*, in Anglia Oxoniensis *Sigisbertum Regem*, in Belgio Lovaniensis *Ioannem Brabantiae Ducem*, in Polonia Cracoviensis *Cazimirum Secundum*, in Germania Viennensis *Albertum Austriæ Ducem*, in Italia Bononiensis *Theodosium Imperatorem*, Pisana *Laurentium Medicem*, Parmensis *Raynucium primum*, & ad illarum exemplar Mutinensis quoque Academia post multas etiam seculorum versiones summis decorabit Elogiis *Franciscum secundum*, ut Principem, qui leges dederit, ut Mæcenatem, qui muneribus cumularit, ut Parentem, qui alimenta suppeditarit.



*Illustrissimis, & Excellentissimis D.D.*

**D. FEDERICO MARCELLO**

Divi Marci Procuratori,

**D. HIERONYMO VENERIO**

Equiti, & Divi Marci Procuratori,

**D. MARINO GEORGIO**

**BERNARDINUS RAMAZZINI**

Felicitatem.

**C**um mihi hætenus mos fuerit singulis annis pro solenni studiorum instauratione Orationem aliquam in Lyceo habere, ut diu feriatam Juventutem aliquo non incurioso argumento ad capeffenda studia illicerem, cumque jam Octavus agatur annus ex quo professorio muneri in hoc Gymnasio sum addictus, ac totidem Orationes mihi sint habitæ, quarum quidem nonnullæ typis traditæ fuerunt, aliæ publicam lucem non videre, consultius fore credidi, si easdem in unum compactas evulgarem, quàm si dissociatas, & citò  
pe-



perituras vagari sinerem. Hosce itaque pusillos ingenii mei fœtus in unum coactos, qualescunque sint, Vobis Illustrissimi, & Excellentissimi Domini sisto, ac tutelæ vestræ commendo, quam si impetrarint, in publicum securi prodibunt, ne, si laudem non promeruerint, despectui sint futuri. Ea enim est apud omnes dignitas Vestra, & Nominum Amplitudo, ut qui sub patrocínio Vestro degunt, malignos afflatus non pertimescant. Optassem equidem librum grandioris molis Vobis offerre, & qui dignitatem Vestram magis deceret, at forsân (si Lachesi adhuc supererit, quod torqueat) incrementum suscipiet; etenim cum Institutum hoc meum Studiorum principio inaugurandi, religiosè servare mihi in animo sit, Opusculum hoc meum adijciali Oratione, & annua fœtura, sensim augeſcet. Ita Vos ad publica commoda, & literariæ Reipublicæ quoque felicitatem natos, nisi Seculo emenso, & summis honoribus perfunctos, ex hac vita migrare fata non sinant, mihiq; detur vitæ lineam ulterius producere, ut sæpius Donario aliquo Vobis litare possim. Valete plurimùm Patavini Athenæi Custodes Vigilantissimi, & Sapientissimi.

Patavii Die 13. Junii 1708.



## L E C T O R I

## B E N E V O L O

S.

**H**Aud sum nescius, non defuturos, quibus titulum, quem huic meo Opusculo præfixi, arrodere libido erit, quòd nimicùm complures, apposita veluti hedera, allicere voluisse, & Oratoris quoque laudem affectasse visus fuerim. Sentiat quisque, ut velit, ego certè hujusmodi ambitione non sum ductus, ut Orator dici, vel credi velim. Intra Medicinæ Castra steti, & quia quæ ex Cathedra dicturus essem, neque Progymnasmata, neq; Prælectiones vocare poteram, cum à materia, de qua toto anno verba facturus essem longè differrent, Orationes appellare licuit; pro lubitu enim, & genio, ex Artis penu argumenta deprompsi, quæ mihi magis curiosa viderentur, & quibus documenta theórica, & practica Studio-  
sæ Juventuti possem suggerere. Qua lege autem mihi interdictum esse debuit, ne aliquo



quo sermonis, & eruditionis cultu id age-  
 rem, quando hac nostra ætate, barbarie  
 excussa, alio vultu, & ornatu in publicum  
 Medicina procedit? Fecit hoc olim Carolus  
 Patinus, in hac Universitate celeberrimus  
 Professor, eruditione clarus, qui singulis  
 annis elegantissimas varii argumenti Oratio-  
 nes in Lyceo habuit, ac typis tradidit.  
 Cæterum si disertos Lectores Orationes hæ-  
 meæ non repererint, ægrè non feram, imò  
 pro gratia habebo; est enim aliqua Erudito-  
 rum rejectio, qua usus est Marcus Tullius:  
*Hæc doctissimum Persium legere nolo, Lælium  
 Decimum volo*, ajebat ille, sic ego quoque  
 mea hæc Eloquentiæ Professores legere no-  
 lo, Medicos volo, eosque ingenuo, & præ-  
 cipuè, qui cultum aliquem à Medicina alie-  
 num non putent. Interim Lector benevole  
 mea hæc æqui, bonique consule, & vale.



# ORATIO

## SECUNDA

### SECVLARIS

Quam Auctor primam habuit in  
Patavino Lyceo

*Die XII. Decemb. Anno MDCC.*



I quis unquam fuit, A. N. qui in hoc amplissimo, ac toto Orbe celeberrimo Sapientię Theatro primùm dicturus apertè trepidarit, eum ipsum esse me sentio, & Vos, qui hìc confiditis, ac me intuemini, sensisse jam video. Etenim cùm pro Medica facultate, ad quam publicè profitendam sum accitus, dicendi mihi munus incumbat, eamque nunc magis, quàm aliàs, celebrari oporteat, quando nostra hac ætate sic crevit, ut grandior penè fieri non possit, idque sit agendum in tam splendido loco, ante spectatissimum tot Profel-



fessorum, ac Literatorum coetum, ac in ea Ci-  
 vitate, è cujus sinu in Latium usque manarunt:  
 Eloquentiæ Fontes, dubia, fateor, mihi  
 mens hæret, non satis perspicuens, quonam-  
 modo tantarum rerum magnitudini possit sa-  
 tisfieri. Jamdudum equidem, ac antequam  
 patriis è laribus solverem, hujusmodi animi  
 æstus præsenferam, quos tamen compescere  
 studebam, subinde memorans, singulos hu-  
 jus Lycei Clariss. Professores mihi pro more  
 prius audiendos, quàm Exedram hanc dictu-  
 rus conscenderem; rebar enim hoc pacto, pos-  
 se me paulatim assuescere, ut omnium postea  
 simul oculos, & ora in me conversa firmiori  
 obtutu sustinerem, vel saltem trepidationem  
 meam non tam facilè proderem. Verùm quàm  
 læva mihi mens esset, & quàm parum fido  
 Nepenthe curas meas sopirem postmodum co-  
 gnovi. Singuli enim Eloquentiæ non minus,  
 quàm Sapientiæ præfidiis armati, audientem  
 me deterruere, cùm dicerent, quid postea om-  
 nes simul facturi, cum me tam ineptè, & se-  
 mipagano sermone dicentem audirent? Sic  
 nova in dies trepidandi succrescente materia,  
 mihi non semel optandum fuit, ut in Areo-  
 pago potiùs, ubi in tenebris agebantur judi-  
 cia, quàm in Patavino Athenæo, coram ful-  
 gu-



gurante Sapientia vestra, causam meam agerem. Quoniam verò aleam hanc, quocumque res cadat, subire mihi necessum est, ac ulterius humanitatem vestram morari non decet, propterea rem aggrediar, ac eò lubentius, quò sorte quadam in hujusmodi tempus incidisse me video, quo Medicam Facultatem peculiari modo celebrandi peropportuna oblata est occasio. Dicendi principium itaque erit Seculi hujus extremam pullantis metam finis, & exitus, & conformandæ Orationis modum Romana dictabunt Exempla. Perantiqua, & solennis fuit olim Romæ consuetudo, ut centesimo quoquo anno ludos quosdam agerent, tanta quidem celebritate, ac tam magno hominum conventu, ut una in Urbe totus penè Orbis hospitari videretur. Ludos hujusmodi, Seculares dictos, primus Valerius Poplicola, exactis Regibus, & primo libertatis Anno, instituit, quorum tempore adventante, misfitabantur circumquaque Præcones, qui populos convocarent ad spectandos ludos, quos nemo vidisset unquam, nec esset amplius visurus. Eruditis auribus vestris nimis onerosum me crederem, si ea, quæ per totum triduum, & trinoctium in summa Romani Imperii Majestate fieri consueverant recensere



re velim . Liceat mihi tamen ritum quendam memorare , quo ipsis solenne fuit Carmen quoddam , Seculare dictum , in Apollinis Palatini Templo græca , & romana voce continere , quo ob res illo Seculo prosperè gestas Diis gratiæ agebantur , ac iisdem Urbis , Senatus, Romanique Imperii æternitas commendabantur , cuiusmodi carminis penes Venusinum Poetam pro ludis Augusti egregium adhuc habemus Exemplar .

Jam penè Seculum exegimus decimum septimum , exordio ab æra Christiana, & redempta libertate desumpto , quo Seculo mehercle nullum aliud foeliciùs , nullum gloriosius vidit , nec forsan amplius visura est universa Medentium Respublica , ut in quo , & Professorum iolertia , & Fortunæ blandientis favor ex æquo decertarint , ut Facultatem hanc ad summum gloriæ fastigium eveherent . Quemadmodum igitur Romanis ( si fas est parvis magna componere ) in secularibus Ludis exacti Seculi gesta , & fastus recolere , & seculari carmine in Apollinis Templo insignire mos fuit , ita mihi in hac Æde amplissima Sapientiæ , ubi datum est Apollineam Artem profiteri , mihi , inquam , liceat hac mea seculari Oratione Seculi hujus in re medica  
prof-



prosperitatem recolere , ac peruestigare , quibus machinamentis , quali alarum remigio Facultas hæc, quæ tot retrò actis seculis humi quodamodò repserat , nunc tam in sublime , ad prodigium usque conscenderit . Sic mihi talis contingat Oratio , qualem & materiæ dignitas , & loci reverentia , ac hujus sapientissimi Confessus majestas exposcunt .

Ut Romanis documentis Orationis filum persequar , Roma terrarum princeps , quæ Imperii fines eò usque provexit , ut magnitudine laborans sua de Imperii finibus statuendis aliquandò cogitarit , quingentis penè annis à Romulo Conditore sortem suam vidit intrà Italię claustra conclusam . Tandiu illi cum finitimis populis conflictandum fuit , imò interdum pro focis , & aris dimicandum , & libertas ipsa quandoque auro redimenda . Erupit tamen post tam longum intervallum Romana Virtus , fractisque Italiæ repagulis , citissimè totum terrarum Orbem tanquam flamma pervasit . Hinc nostra hac ætate non parùm laborat Annalium , & Numismatum fides , ut vix credi possit , Romam paulò plus uno Seculo tot bellis , tot victoriis eò devenisse , ut nec parem haberet , nec superiorem .



Ablegatis ad Poetas, & Mythologos notis  
 figmentis de Apolline, Hygæaque, Hippo-  
 cratem Medicæ Artis primum Conditorem  
 fuisse fat abundè restantur egregia ejusdem  
 monumenta, imò quæ adhuc extant Oracu-  
 la. Jecit quidem ille summa, qua pollebat  
 ingenii profunditate solida, ac æternùm du-  
 ratura fundamenta, quibus egregiam molem  
 superstruxit, sed non absolvit, ut cui ad Ar-  
 tem longam perficiendam, longior, imò Ne-  
 storea, debebatur vita Operi tam magnifico  
 ex Galeni industria, Viri acris ingenii, &  
 solertiæ, non levis accessit ornatus, & ampli-  
 tudo, cujus vestigia si postmodum pressissent  
 Posteriores, jamdudum fuisset absoluta, *aquata-  
 que Machina Cælo*. Verùm ab Hippocratis, &  
 Galeni ævo usque ferè ad hæc postrema duo  
 Secula jacuit squalens, & cultu horrida Medi-  
 cina, cujus quippe nativum candorem offu-  
 scarint non parum Arabes, ac Mauritanii;  
 quin quod (pudet referre) & Grecè, & Latinè  
 loqui penè dedidicit, voces adeò barbaras cre-  
 pans, ut propter ipsas penè liceret vadimo-  
 nium deferere. Non vacat hîc, tam diuturni,  
 & gravis Veterni causas disquirere, ni for-  
 sam arbitrari liceat, id fato quodam contigis-  
 se, ut huic Seculo tota reservaretur gloriæ  
 ple-



plenitudo; habent quippe, ut reliqua omnia, sic Artes, & Scientiæ sua Sydera, quibus splendescant magis, & culmen suum pertingant.

Præluxit quidem huic Seculo præcedens aliud, & Medicina à barbarie, & squallore non parùm vindicata, magna futuri incrementi exhibuit præfagia, ast id sub finem præstitit, & cum ad metam jam properaret Seculum verò istud ab ipsis incunabulis usque ad extremum senium egregia suæ virtutis edidit specimina, ac semper ferax, validumque tot præstantissimos Heroes edidit ( & quorum pars magna fuit nobilissimum istud Lyceum ( ut nonnisi Nomenclatoris ministerio justa fieri posset illorum recensio. Hi ergo anatomicis studiis instructi summa alacritate, tanquam è stativis erumpentes, amplissimum Naturæ imperium sunt adorti, ac alii quidem Regnum Animale, alii Minerale, alii Vegetabile sibi pertentandum delegere. Tam provido consilio velificante Fortuna, sub ipsius Seculi initium, viam præmonstrantibus Aquapendente, & Casserio, in Regni Animalis interiora altius penetratum est, cum antea circa oras extremas Anatomicorum solertia velitatione quadam oberrasset. Per innumeras er-



go Animalium cædes, crudeli quidem diligentia, sed in bonum commune cessura, in amplam Regionem, ad spectu jucundam, fluentem lacte, ac Venerandæ Antiquitati non antè visam, perventum est. Lactearum Venarum Inventum hic innuo, quod Clariss. Aselio potissimum debemus, qui primus in Microcosmo Galaxiam indigitavit, veros nempe ductus, per quos Chyli pars tenuior discurrit in Mare purpureum devolvenda. Fœlix profectò, si Cordi potius, quàm Hepati nectareum hoc libum deberi advertisset, nec pluris credulæ Antiquitatis documenta, quàm Veritatis indaginem fecisset.

Verùm rei novitate, ac tam jucundo spectaculo forsan abreptus, suam passus est perfrigescere industriam, communi tunc temporis præjudicio detentus, lacteum scilicet succum perperam in Hepate induere (a). Quòd si tot rivulos per mesenterium superiora versus discurrentes in unicum fluentum necessariò coire debuisse animadvertisset, donec in cavitate aliquam contentum humorem profunderent (quod enim flumen est, quod certo tramite ad Mare non devehat? sicuti lactearum principium deprehenderat, ita quoque

(a) Vid. Sennert. de Morb. Mesent.



que earumdem finem deprehendisset. Sic autem integram, quam Sors obtulerat, gloriæ palmam cum Pecqueto partitus est, qui candida primi Observatoris vestigia relegens Chylosi laticis stagnum, ac Thoracica vasa Chylum in subclaviam refundentia postmodum observavit, magnoque plausu lactearum historiam feliciter absolvit. Meherclè tamen fortunati ambo, qui per lacteam viam, ac veriùs quidem, quàm prisci Heroes ad nominis immortalitatem migrastis. Chyli ergo motu, ac illius ductibus in apricum deductis, illicò ab hæmatoseos munere exautoratum Hepar, ac purpura illi detracta, Venæ Mesentericæ à Chyli vectura absolutæ, Cordi prisca dignitas restituta, lactis generatio in mammis patefacta, multæque futiles disceptationes, quæ ad ravim usque Scholas exercuerant, è Foro Medico penitus proscriptæ.

Verùm sicuti prosper eventus ad alium prosperiorem persæpè viam pandit, ita insigne lactearum Inventum aliud gloriosius, circularis nempe sanguinis motus, excepit. Phænomenon istud, non secùs ac novum, & prodigiale in Cœlo Sydus, omnium Oculos valde perstrinxit, tanquam in Medentum

Re-



Repub. magnam portenderet rerum vicissitudinem . Tam admirabile Ostentum , nobis quid in novum , Naturæ antiquissimum ( quid enim , precor , Veritate antiquius ? ) circa hujus seculi sextum lustrum primus omnium Mundo visendum præbuit Celeberrimus Harvejus , cujus nomen tandiu stabit , quandiu movebitur sanguis , ac in orbem agetur è Corde in Arterias , ab Arteriis in Venas , à Venis in Cor , refluxo cursu rediturus .

*Non Jecus ac liquidis præbygius*

*Meander in undis*

*Ludit , & ambiguo lapsu refluitque , fluitque ,*

*Occurensque sibi venturas*

*adspicit undas . ( a )*

Ex Italis nostris tamen ( ut suus cuique honos perstet ) ac potissimum à Celeberrimo , & sui seculi omniscio Viro , Paulo Servita , non exigua tam famosi Inventi documenta Venetiis , ac Patavii , hausit Harvejus , quæ postea in ordinem digesta post suum ad Britannos reditum evulgavit , & Orbi literato patefecit ( b ) . Ast ab Italo solo , tanquam divite Fodina , informem hanc gemmam , & rudi saxo involutam Anglus ille Artifex , ac peritus rerum

( a ) Ovid. lib. 8. Met.

( b ) Vid. V. vall. in Epist. ad Barthol.



rum Æstimatōr eruerit, illam tamen sic expos-  
 livit, splendentemque effecit, ut eam Orbi  
 erudito, veluti rem suam venditare potuerit.  
 Verūm, ut fieri assolet, ac sicuti olim Vir  
 magnus literis prodidit, *intacta, & nova, graves*  
*offensa levis gratia*, (a) sic Harveio ex tam cele-  
 bri, ac frugifero Invento nulla ferè gratia,  
 imò non nisi probra, cum illud Mundo ape-  
 ruit, accessere. Hinc Parisanus, illinc Pri-  
 mirofius, aliique hunc Magnæ Britannia De-  
 mocritum, non secūs ac olim suum Abderitæ,  
 insanire proclamant. Illorum tamen latra-  
 tus Magnus Vir ille despexit, nec quemquam  
 responso est dignatus, Tempori, Judici æquis-  
 simo, causa commissa, donec tandem pro li-  
 vore, qui ut plurimū in vivis pascitur, ac  
 cineribus parcit, meritas laudes, & æter-  
 nam venerationem promeruerit. Hinc penès  
 Literatos omnes, cum Philosophos, tum  
 Medicos, nihil æquè celebre est, quàm Har-  
 vei nomen; nihilque tam pro rato habitum,  
 quàm admirandum hoc Naturæ Magisterium,  
 ut certior sit sanguinis in Microcosmo circui-  
 tus, quàm Aquarum in Magno Mundo è flu-  
 minibus ad Mare, & è Mari ad fontes, & flu-  
 mina pericyclos.

C 4

Quid

(a). Plin. Inn. l. 5. Epist. 8.



Quid nunc clariores priorum temporum Medicinæ Coriphæos, dicturos putamus, si ab Ælysiis evocari possent, ac iisdem non apodicticis argumentis, sed oculata fide purpurei laticis in orbem motus demonstraretur? Quid, inquam, dicturos putamus de commentitia tot facultatum familia? quid de suis Morborum theoriis? quid de tam curioso in phlebotomia venarum delectu? quid de credita Revulsione per Venam lectam tam grandi potestate? quid de suis Intercipientibus, quid de Derivantibus, quid de tot errorum tenebris, quibus transversim agebantur, quos Phœnomenon istud splendidissimæ facis ad instar planè discussit? Hiscerent profecto, & animalem œconomiam ab ea longè diversam, quàm ipsi in mentibus suis procuderant, & hisce quoque in Scholis tradiderant, admirarentur stupore perculsi, non secus ac Arabes illi, qui in Castra Pompei transgressi alium admirabantur umbrarum ordinem, quàm quem in torrida Regione spectare consueverant, de quibus sic Poeta.

*Ignotum vobis Arabes venistis in Orbem,  
Umbras mirati nemorum non ire sinistras. (a)*  
Mirarentur sanè tanquam Hospites, quomodò  
tam

[a] Luc. lib. 3.



tam finistrè , ac inverso ordine illorum animis  
 res procederent ; ac secum ipsi non caperent ,  
 quòd rem tam obviam ignorarint , quasi no-  
 strum hoc Seculum illud ipsum sit , quod olim  
 prænovit , ac prædixit Seneca , qui cum à mo-  
 rali Philosophia (a), quæ paucos semper habuit  
 Auditores , ad naturales quæstiones divertis-  
 set , scriptum reliquit , venturum tempus , quo  
 Posterì mirarentur , *illos tam aperta nescivisse .*  
 E' Cymmeriis tenebris igitur , ac post altam  
 noctem Mundo coævam , Harvejano Phospho-  
 ro emergente , cœpit albescere Veritas , ut  
 non ampliùs in dubia & crepera luce , sed in  
 meridiana claritudine satis pateat , quale sit  
 Microcosmi politicum regimen , quis ordo ,  
 quis Promocondus , quis Alimonix Dispen-  
 sator , cùm antea vi ελξεσθαι non ὠσεσθαι per  
 attractum , non appulsum alimenti partes om-  
 nes nutrirì , constans quidem , sed æquè fallax  
 esset opinio . Absit tamen , quòd in eorum ,  
 qui Seculum istud præcesserunt , famam , &  
 existimationem quidquam statuam ; colendi  
 sunt utique , ac Parentum loco habendi , mul-  
 tumque illis debemus , si illorum studiis adeò  
 profecimus , si nos , veluti super Gigantum  
 humeros , tam longè prospeximus . Choream  
 ita-



itaque ducente sanguine, cœteros humores, ut succum pancreaticum, Lympham, nervosum laticem, & quotquot alia fluida in humano corpore deprehendit Professorum solertia, facili obsequio, & hydraulico quodam concentu in orbem moveri compertum est; hinc Virsungii, Bartholini, Rudbechii, Vvillisii inclaruere nomina.

Quot alia porrò Phœnomena fortunatissimum hoc Seculum vidit? res parvas, ac minutas omittam, ne relictis fontibus, rivulos, ut dici solet, consecrari videar. Vesicularem Pulmonum structuram, nec non Hepatis, & Lienis glandulosam compagem Mundo aperuit Malpighius, veram nervorum originem Fracassatus, variam, & numerosam glandularum sobolem, & usum Vvarthonus, ac Steno, Vasorum lymphaticorum valvulas Sylvius, & Rudbechius, ductus salivales Glissonius, generationis Organa, & Ovarium mulierum R. Graaff, Cordis fabricam Lovverius, Musculorum structuram, & motum ad Geometriæ leges nunquam satis laudandus Borellus. Parcant, quæso tot Clarissimorum Virorum Manes, si illorum nomina, ac gesta unico veluti fasce complector, tam numerosa etenim hoc Seculo giganteo Heroum est  
pha-



phalanx, ut Orationi suus ordo constare non  
 valeat. Hisce artibus igitur, his studiis Pro-  
 ectorum phalanges ferro, & Microscopiis  
 armatae per totum Animale Regnum palantes  
 discurrere visae sunt, ut nil tam abditum es-  
 set, nil tam profundè repositum, quod in  
 pertam lucem non fuerit protractum. Hoc  
 facto Medicina, praeter ceteris naturalibus Scien-  
 tiis, quibus multum lucis foenerata est, caput  
 extulit, & unius Seculi compendio tot secu-  
 lorum damna pensavit.

Valeant ergo priscae illae Catonis querelae,  
 quibus censoria veluti virgula suorum tem-  
 porum Medicos iugillabat. *Discunt*, aiebat  
 ille, *periculis nostris, experimenta per mortes*  
*agunt Medicoque tantum hominem occidisse, sum-*  
*ma impunitas est* (a). Discimus profectò alie-  
 nis periculis, & experimenta per mortes  
 agimus, sed Animalium, quæ mactamus, quo-  
 rum viscera lustramus, in quibus vivam ana-  
 tomen exercemus, & per longam illorum tor-  
 turam veritatem in alto positam extorquemus.  
 Experimenta, inquam, per mortes agimus,  
 dum per Medicinam infusoriam (quod hujus  
 Seculi quoque egregium Inventum est,) in  
 Venas Animalium venena infundimus, ac  
 post-

(a) Plin. H. N. lib. 9.



postmodum , illis extinctis , observamus  
 quamnam labem Sanguini affricuerint , nunc  
 illum in crassamentum , & offam quandam  
 coegerint , an in atrum liquamen dissolverint  
 Quin ab uno Animali in alterius venas san-  
 guinem transfundimus , quo pacto Juventutem  
 renovandi modum didicimus . Jam fabula de-  
 siit esse , quod de Medea commenti sunt Poe-  
 tæ , quæ ut Æsoni senio confecto juvenile  
 robur conciliaret , resectis jugularibus , vi-  
 tales succos per os , & vulnus infudit ; en quàm  
 eleganter à Poeta describitur :

——— *Stricto Medea recludit*

*Ense senis jugulum , veteremque exire cruorem  
 Passa replet succis , quos postquam combibit  
 Æson ,*

*Aut ore acceptos , aut vulnere , barba , co-  
 maque ,*

*Cannicie posita , nigrum rapuere colorem ,*

*Pulsa fugit macies , abeunt pallorque , situsque . (a)*

Hominem porrò occidisse , summa , ut  
 Medicinæ Osores volunt , sit impunitas ; at  
 summa quoque eorum dementia est , qui in  
 tanta peritorum Artificum copia , Agyr-  
 tis & Circulatoribus se curandos committunt , &  
 à quorundam blanditiis , ob crebras visitatio-  
 nes,

(a) *Ovid. l. 7. Met.*



nes, se captari sinunt, qui, ut aiebat Sidonius, *parum docti, satis seduli, multos agros officiosissimè occidunt*. (a)

Neque Pithagoræus aliquis lanienam hanc animalium probro nobis obtrudat; etenim si animalia mactamus, quæ tanto studio nostris in laribus educamus, quæ in artis culinariæ gratiam, imò interdum pro ganea saginamus, quare nobis ut plurimum Canes macie confectos necare, & hujusmodi victimis Veritati litare non liceat? Pingues, ac torosos Juvenços florum coronamentis ornatos prisci Haruspices ad suorum Numinum aras immolabant, ut divinando ignarum vulgus fallerent. Nos in quocumque animalium genere Extispicia nostra celebramus, seu pingua sint, seu strigosa, seu magna, seu pusilla, in Elephante, in Formica, in Culice, in Acaro quoque, si lubet, non ut alios decipiamus, sed ne decipiamur, imò ut immensam Divini Conditoris Sapientiam admiremur, ut sic Atheismum è Mundo eliminemus. E Luciani Schola etenim Lyciscus aliquis in Theatrum Anatomicum pedem immittat, pius exhibit. At quid aptius ad notationem aliquam supremi Numinis mortalium mentibus imprimen-



mendam humana poterat excogitare solertia  
quàm Anatomicam indaginem! Divini Opifi-  
cis cuncta nexu admirabili componentis pecu-  
liaris, ut itam dicam, ludus est Synthesis  
humani ingenii propria est Analysis. Pro Se-  
cularium ludorum celebritate (quos in Deo-  
rum honorem institutos agebant) ingentes Bell-  
væ, & multa Gladiatorum paria in Theatra  
urgebantur, ut ad invicem pugnando P. R.  
oblectamento essent, ac homini alterum ju-  
gulanti magno plausu acclamabantur. Mitio-  
res, ac sanctiores ludos habent hæc nostra tem-  
pora; dum in Theatris nostris Animalium vis-  
cera lustrantur, dum Insecta quoque secan-  
tur, attonito, stupentique animo Divino ar-  
tifici solummodo plauditur.

Neque verò leve est, quod universæ ani-  
mantium Naturæ pro suscepto beneficio Me-  
dicina rependit. quænam enim animalia,  
quos alites, quæ reptilia, quos vermiculos  
Terra educat, quos pisces, quæ monstra alit  
Oceanus, quorum imagines in amplis Volu-  
minibus non sint depictæ? Quin, quod e-  
legantius est ipsa animalium primordia, &  
successiva incrementa, quotidiana Ovorum  
inspectione (quam Spartam primò Fabricius  
in Patavino Theatro, mox Malpighius in  
Bo-



(Bononiensi adornarunt) tam eleganter, tam affabrè exarata sunt, ut nostro hoc Seculo absolutam, & ab Ovo, ut dici solet, Animalium habemus historiam. Quantum ergo humanæ solertiæ datum, perspectam omnium penè viventium structuram, ac indolem habet Ars Medica; novit intus, & in cute, novit numerum partium, novit mensuram, ac symmetriam, qua sibi ad invicem respondent, novit quoque in pondere. Cui etenim non innotuit Clariss. Sanctorii Inventum, qui primus, & ex hoc Lyceo, Staticam in Medicinam invexit?

Lustrato igitur, & pererrato toto animali Regno, medicisque legibus parere jussu, ad excolendum id, quod tanta Dissectorum industria partum fuerat alii solertissimi Viri operam suam impenderunt. Hinc ad veram & solidam Morborum theoriam & praxim stabiliminandam egregia prodire Monimenta, ut Physiologiæ, & Pathologiæ reformatæ Methodi medendi ad sanguinis circulationem, novæ Hippocratis Aphorismorum ad veritatis normam Expositiones, Pharmaceuticæ, & Chirurgiæ Rationales. Irides febriles, nova Medica Systemata, ac tot alia cedro digna Volumina.

Non



Non minori quoque alacritate, nec disp  
 ri forte ad Seculi famam perennandam in  
 Regni Mineralis viscera itum est. Et hìc quo  
 que, in quo se exerceret Anatomes, invenit  
 non quidem ferro, sed Igne, magno rerum  
 Analysta. Vulcani ministerio itaque, quali  
 nunc est bellandi forma, fossilium, & meta  
 lorum omnium ferocia perdomita, ac trium  
 phata, eò usque devenit Hermeticorum sc  
 lertia, ut ea, quæ forent magis sylvestria  
 cicurare didicerit, & quæ discreta, cirum, ac  
 mortiferum essent venenum, ad invicem com  
 sociata, Antidoti naturam adsciscerent. Haud  
 ideo inficias, quin priora quoque Secula egre  
 gios Viros habuerint, qui nervosè quidem  
 ac totis viribus Mineralis Regni latebras per  
 tentarint, adeò ut sibi triumphales currus  
 confinxerint. Verùm mineralia triumphata  
 potius, quàm victa. Revera hoc Seculo Her  
 metica disciplina rem planè confecit, & om  
 nium penè, quæ in Terræ sinu Natura re  
 condiderat, analysi facta, medicam gazam  
 ditavit, effecitque, ut ea, quæ priùs *irrita*  
*menta malorum* dici poterant, in medicamen  
 ta saluberrima transferint. Antimonium,  
 quod tam variam sortem expertum est, ac  
 aliquandò tam malè audiit, ut à Parisiensi



Curia olim damnatum fuerit (a), ac in exilium actum, licet postmodum absolutum, & revocatum, nunc ope Chymica ad tam bonam frugem redactum est, ut apud celebriores Pharmacopolas inter selectiora remedia suum habeat elegans Narthecium. Quin varios ad usus paratum, modò emeticum est, modò catarticum, modò diaphoreticum, ac, si lubet, etiam cosmeticum. Quænam febris, precor, imò quinam morbus est, quem oppugnandum suscipiat Medicus, nisi Stibio diaphoretico armatus? Mercurius quoque, Servus ille olim fugitivus, nunc vinctus, & in compedibus, ad quacumque enchiridion paratus est, ac modò se præcipitari, modò in sublime projici patitur; imò cum volumus, in Torricelliana fistula (quod hujus Seculi quoq; nobile Inventum est, quod cum Philosophorum, tum Medicorum exercuit, & adhuc exercet ingenia) perpetuò suspensus pendere cogitur, ut sic ingruentium tempestatum, atque etiam exinde secuturæ serenitatis fidelis sit Præmonstrator. Nimius essem si remedia martialia, jovialia, solaria, antihectica, stomachica, ac tot alia è metallorum sinu ad herculeos morbos perdomandos

Tom. IV.

D

eru-

(a) V. Etm. T. 2. de Med. purg.



eruta , multaque alia recensere velim , sub quorum ingenti , & magnifica supellectile penè laboramus . Præterire tamen non liceat , Thermalium aquarum virtutem non soluta magis , quam aliàs , nunc esse exploratam , sed tam exactam ope Chymica illarum analysim factam , ut varia mineralium genera in aqua naturali dissolvendo , ipsius Naturæ magisteria Ars æquare potuerit , magno utique ægrorum commodo , ut propriis in laribus eos videant Fontes erumpere , quos morbi conditio reposcat . Jamdudum equidem damnum senserat rerum Parens Natura , dum Fontes suos hinc inde muscosos , ac fere desertos conspiceret , secumque ipsa mirabatur , quomodo tantum gratiæ medicatis suis scatebris decessisset , cum per tot secula , *commune Medentum auxilium* audissent , ut de Aponitanis cecinit Claudianus ; ast cognita causa risit , ac de Hermetica disciplina rectè judicavit , quòd illius magna Opera tam parvo labore lusisset . Hoc pacto quot egregii Viri nomina sua immortalitati commendarunt , ut Libavius , Drebellius , Crollius , Helmontius , Poterius , Tachenius , ac postremo celeberrimus Etmullerus .

Non minus prosperè quoque in vegetabilis  
Re-



Regni amplitudine pervestiganda à Botanicis allaboratum est. Neque hujusce rei adeò longè mihi testimonia erunt petenda. Ad Patavinum Hortum provoco, quem meritò appellare liceat Plantarum totius penè Orbis Coloniam florentissimam. In hoc etenim, non secùs ac nativo in solo, ac præsertim sub tanto Præsìde, Plantæ omnes ex quacumque Mundi plaga, seu calenti, seu algida revulsæ feliciter vernant.

*Miranturque suas frondes, necnon sua poma.*

Diversa tamen Methodo, ac reliquis temporibus, nostra hac ætate exculta est Botanica; antea circa externam Plantarum effigiem, & signaturam præcipuus impendebatur labor, ut ea in re absolutam haberemus Plantarum historiam, modò perfectam habemus Anatomem. Oculis enim microscopio armatis Plantarum parenchymata, membranas, fibras, utriculos, canaliculos, per quos liquor nutritius in Plantam, & à Planta in radices in orbem fertur (qualem circuitum magnus olim adumbravit Hippocrates) apertè conspiciamus [a]. Quòd verò præcipuum est, innumeris experimentis, non tralatitia Scriptorum fide, Plantarum omnium, fru-

D 2

ti-

( a ) De Nat. Pn. n. 32.



ticum , ac herbulæ cujusque explosis Vete-  
rum fabulis , fatis explorata est Virtus , &  
quanam in parte conclusa lateat , num in  
volatili , an fixa , num acida , an alchalina .  
Sic non amplius , veluti olim , plantarum  
cujuscumque ordinis confusaneo apparatu , &  
excogitata compositione luxuriæ ( uti olim de  
Theriaca Plinius ) [a] parantur remedia , sed  
tota sua simplicitate , ac nativa dote à cor-  
datis , ac ingenuis Professoribus Vegetabilia  
in usum revocantur , adeò ut ad Homericam  
Medicinam Ars medendi paulatim remigret .  
*Medicina quondam , ajebat Seneca , paucarum  
fuit scientia verbarum , quibus fluens sistere-  
tur sanguis , vulnera coirent paulatim (b) .* Sic  
Helena apud Homerum sola radice Oenopiæ,  
qua à Theonis Regis Uxore fuerat donata ,  
nobilem illam mœroris antidotum (c), Vinum  
Nepenthes , paravit , quo Menelai , & Te-  
lemachi Ulissis filii luctus , & curas consopi-  
ret . Equidem eò ventum erat , ut qui pro-  
lixiores , ac palmares remediorum formulas  
(scriptas , & à tergo quandoque) Ægris præ-  
scriberet , is verè utramque paginam absol-  
visse crederetur .

In

(a) L. 29. H. N. cap. 1.

(b) Ep. 95.

(c) Od. 8.



In hac quoque re Fortunæ favor accessit ; quot enim seculis defudarunt Artis primores ; ut febrifugum aliquod reperirent ; vel arte conflarent ? Modò è Peruviana regione Cortex ad nos defertur , divinum plane remedium ad malè natam febrium sobolem exterminandam . Postremò ut inoffensa prosperitate ad extremam sui metam Seculum istud procederet , paucis abhinc annis novum antidyentericum remedium in Europam delatum est , radix nempe quædam , cujus admiranda virtus in cruentis alvi fluxibus , multis experimentis comprobata est , qua de re elegantissimum libellum edidit Leibnitius , Vir Celeberrimus . Lubenter equidem , ac ut mei muneris , est egregios Professores , qui Botanicam hoc Seculo illustrarunt , hîc memorarem ; verùm quos primo loco memorem , cum omnes primas teneant ? Absit , quòd hac in re cujusquam dignitati & famæ quicquam detractum velim ; omnes in commune bonum allaborarunt , suus quemque honos tuebitur . Jactat , æternumque jactabit Gasparum , & Joannem de Bauhinis ambos fratres Helvetia , Paulum Hermanum Batavia , Joannem Rajum Anglia , Robertum Morisonum Scotia , Josephum Pittonem Tournefortium



Gallia, Fabium Columnam, Lælium, & Jo. Baptistam fratres de Triumphetis, Illustrissimum, & Spectatissimum Virum D. Abbatem Felicem Viali, Patavini Horti Præsidem, nunquam sat dignis laudibus nostra condecorabit Italia.

Grande igitur patrimonium, ac tam magnificam suppellectilem Posteris nostris relinquimus, Auditores Nobilissimi, ut partæ magnitudinis optanda sit potius conservatio, quàm speranda amplitudo. Ac profectò si tot experimenta, si tot tentamina, vel in minimis, mente recolamus, si celeberrimæ Naturæ Curiosorum Academiæ Ephemerides si ea, quæ veluti in fastus, & acquisiti Imperii Rationaria relata sunt, ut Acta Lipsiensia, Hassniensia, Britannica, Gallica, Italica evolvamus, citrà jactantiæ aleam fas est asserere, Veritatem penè occupatam, tria amplissima Naturæ Regna in medicam potestatem quasi ex toto redacta. Admirari tamen semper licebit quomodo tot publica Gymnasia, moribus, locorum diversitate, religionis quoque cultu dissita, tanto, ac adeò tacito inter se animorum consensu, in eundem finem collimarint, ut Seculum istud perennarent. Quomodo autem à tot inter  
se



se foederatis Academiis Natura per integrum  
 Seculum circumventa, obseſſa, tot machi-  
 nis petita, arietata, vinctas tandem non da-  
 ret manus, ac non pateretur ſibi peplum de-  
 trahi, ut non ampliùs perſonata, ſed tota  
 quanta eſſet, Oculis noſtris pateret? Illa  
 equidem ſub Iſidis perſona nimis jaſtabunda  
 olim hiſce gloriabatur verbis (a). *Ego ſum  
 Univerſum, & flammeum meum mortalium ne-  
 mo aperuit*: ac propterea ut ſcrutatorum in-  
 duſtriæ ſecurius illuderet, ſe totam in mini-  
 mis abdiderat; in minimis quoque quaſita  
 eſt, inventa eſt, flammeoque detracto, in  
 apertam lucem protracta.

Quid ergo ſupereſt agendum? Non niſi, que-  
 madmodum Romanis in ſecularibus laudis  
 mos fuit, ut ob res proſperè geſta Divinæ  
 beneficentiæ agantur gratiæ (& quando Roma-  
 næ libertatis, & Latini ſanguinis reliquiæ è  
 Tyberi in Adriacam Regiam veluti in Portum  
 conſeſſere) ut pro *ampliſſimo Senatu, pro Sereniſ-  
 ſimo Principe, pro Veneti Imperii æternitate ſuſ-  
 cipiantur Vota*; hoc enim ſtante æternùm ſta-  
 bit, vigebitque celeberrimum iſtud Athe-  
 næum. Stabit proſecto, ac novo in dies exiſti-  
 mationis & famæ incremento, quod hæc-

D 4 nus

( a ) *Plut. de Iſid.*



nus obtinuit , potiori jure retinebit , nimirum ut cœteris præcellat . Videte quæso quos illius custodiæ Sapientissimos Moderatores præfecerit amplissimi Senatus auctoritas ? Ii Veneta in Urbe , tanquam è Specula , non solum illius incolumitati , verum amplitudini , & decori , vigili cura prospiciunt . Videte quoque , quos spectatissimos Viros illi propius , tanquam tutelaria Numina adesse voluerit . Tanti interest hanc Palladis Arcem antiquissimam in hac Civitate custodiri , ac in Adriaca Regia Martis Armamentarium ipsum , illud quidem ad publicam securitatem , hanc ad publicam felicitatem . Ibi non secus , ac in Lemnia Vulcani Officina ad arma conflanda continuò defudant , & ictus ingeminant Steropes , ac Brontes .

- - - - *Stridentque cavernis  
Stricturæ Chalybum , & fornacibus ignis  
anbelat . (a)*

Hic ad conflandos homines numerosa Sapientum Virorum exercetur phalanx , & continuo , sed non improbo labore perstrepunt Scholæ , Atria ,

*Semper & assiduo ruptæ Lectorum Columnæ . (b)*  
Sic autem decebat , imò oportebat , Venetam  
Maje-

( a ) Virg. Æne. l. 8. ( b ) Juven. Sat. 1.



Majestatem non solum armis esse decoratam, sed Sapientia quoque armatam.

Juxtà Patavium locum quendam olim fuisse, ubi Geryonis Oraculum colebatur, eumque locum adiisse Tiberium, nondum Imperatorem jactisque in Aponi Fontem aureis talis, futuri Principatus præsagia suscepisse, ex Svetonio habemus. Non est quòd ubinam esset mendacis Oraculi Domicilium curiosè disquiramus, dum in hac Civitate Lyceum istud extat, ubi humanarum, divinarumque rerum tot sunt Oracula, quot Professores. Sic antiquam hanc Reip. Literariæ Sedem fartam tectam tueantur Superi, *cui nec metas rerum, nec tempora ponant.*









# ORATIO TERTIA

Feliciùs curari à Medico popularem  
gentem , quàm Nobiles , &  
Principes Viros,

*Die XII. Novemb. Anno MDCCI.*



Non possum, fateor , non admirari . A.O. quomodo mentibus nostris tam altè infederit communis de Fortunæ supra res humanas dominatu opinio , ut si Templâ , & Aræ more Veterum non existent , ubi ad bonæ Fortunæ simulacrum litemus , nescio quid tamen ignotum Numen mente concipimus , quod nobis benignum & salutare vovemus , cum ad novum aliquid moliendum sollicitamur . Sic nimis amplam potestatem in rebus , tum publicis , tum privatis illi affingimus , in politicis , in œconomicis , in magnis & privatis domibus,



bus, licet etiam infimæ fortis, hinc omnibus in locis sola Fortuna invocatur, sola laudatur, non rarò etiam arguitur, tanquam cæca temeraria, invida, & injusta bonorum dispensatrix. Nihil autem esse ubi, quid, & quantum possit Fortuna, magis, appareat, *quàm in Gubernatione, in Navigatione, in militari Imperio, ac Medicina*, scripsit Plato in libris de Legibus; hinc nihil æquè vulgatum est, nihilque magis pro re indubia acceptum, quam oportere Medicum esse fortunatum, ac in illo præter doctrinam, & prudentiam desiderari quoque Fortunam. Num autem in Arte Medica tantum dominii, ac potestatis sibi Fortuna vindicet, uti persuasum habet vulgus, mihi non tam facilè persuadere possum, etenim si Fortunæ in Medicina facienda locum aliquem largiri liceat, eam esse crediderim, cum Medicus aliquis, alioquin sapiens, exercitatus, ac prudens, in morbum incidet, aspectu gravem, qui ægrum, & Affidentes perterrefaciat, qui quantus, & qualis est, vigiliis, jactationibus, doloribus, aliisque symptomatibus se prodatur, sed qui tamen curationem non respuat, sicuti enim eum infortunatum appellare fas sit, cui accersiri obtigerit ad curandum morbum fonticum, ac malignum, qui



qui latenter spiritus depopuletur, & plus periculi habeat in recessu, quàm in fronte, & qui neq; somnum interpellet, appetentiam non deiciat, neque ullam ab ægro querelam extorqueat, ut ut enim Medicus prognostico tanquam clypeo, se communierit, non tam facilè illi erit ut vulgi calumniam declinet, cum ægri extincti rumor improvisus per Civitatem vagari cæperit. Cæterum, quòd Medici docti licet, ac boni Practici in curandis splendidis personis, eam non sortiantur felicitatem, quam ut plurimum experiuntur Clinici minùs docti, qui ad curandam plebem quotidianam operam impendunt, & quibus admirandæ non rarò contingunt curationes, id inter Fortunæ jura reponendum nequaquam censeo, illud enim quod ex quarundam causarum complexu, sic & non aliter fieri necessum est, fortuitum nemo sapiens, ut reor, appellabit, atque id ipsum est, quod hodierna hac mea Oratione demonstrandum suscepi, absolutè nimirum, ac feliciùs curari à Medico popularem gentem, quàm Nobiles, & Principes Viros.

Haud sum nescius O. D. omnium ferè mentibus hanc hæere opinionem, non aliam ob causam minùs prosperè, curari Nobiles, &

Egre-



Egregios Viros, quam vulgarem, & proletariam gentem, nisi quia Medicus, qui ad Virum aliquem excelsum curandum fuerit accitus, non minùs ad sui nominis existimationem, actum tamen, quàm ad ægri salutem sit attentus, adeò ut tali cautione remedia præscribat, quæ culpa in quolibet eventu vacare credantur: cum nemo, uti aiebat Celsus, *in splendida persona sua conjectura periclitari velit, ne occidisse, nisi servarit, videatur* (a); ubi si ad plebeum aliquem curandum accessisset, generosa remedia, quæ & morbum, & morbi causam averuncarent, animosè ac fidenter præscripsisset. Egregiè sanè, atque ut ingenuum Artificem decebat se præbuit Galenus, qui cum ad Comodum Imperatorem passione quadam stomachi laborantem curandum *ex cibi*, ut ipse ait, *in ventriculo atritione*, ut à Romanis Medicis febrile crederetur, cum ab assumpto cibo paulò post rigeret, fuisset evocatus, explorato pulsu, illum nulla febre teneri pronuntiavit, sed simplicem esse cibi in Ventriculo atritionem, & in flatus conversionem, quam ob causam ab Imperatore quesitus, quid agendum esset, hisce verbis respondit. *Si quispiam alius esset, qui hoc morbo laboraret, bibendum*  
*ipsi*



ipsi dedissem, quemadmodum solitus sum, vinum  
 piperis inspersum; Vobis autem Regibus, quibus  
 tutissima remedia Medici admoveere consueverunt,  
 Lanæ manipulum Nardino pigmento calido intin-  
 ctum ostio Ventriculi imponere sufficiet (a). Galeni  
 ingenuitatem admirans Imperator, præscrip-  
 tum remedium in vulgari gente expertum si-  
 bi laboranti adhiberi iussit, accepto enim vi-  
 no fabino cum piperis pulvere insperso Im-  
 perator sanitati feliciter est restitutus. Non  
 ideo sanè inficias, quin Medentium finis po-  
 liticus, & circumspectio in curandis Nobili-  
 bus Viris promptæ, & expeditæ curationi  
 aliqua remora esse possit, ut Nobiles, &  
 Principes Viri, in quorum sinu, honores,  
 opes, & omnia fortunæ bona videantur con-  
 fluxisse, ea beneficia, ab Arte Medica, quæ  
 omnibus ex sui natura eadem est, non refe-  
 rant, quæ gens vulgaris; aliæ tamen super-  
 sunt fortiores causæ, quæ non sinunt, ut hac  
 in re feliciores sint Patricii, quam plebei ho-  
 mines. Quàm diversa, immo quam contra-  
 ria vivendi ratione, eadem in regione, eadem  
 in Urbe ætatem suam traducant Nobiles Viri,  
 & viles Operarii, sub eodem etiam tecto Ser-  
 vi,

( a ) Lib. de præcogn. ad Posth. Cap. 11.  
 Vide Petrum Bayrum Lib. 11. C. 9.



vi, & Domini, nemo non novit. Plebs im-  
 fera, & malis assueta, paucis contenta est co-  
 bis, ac talis, impellente necessitate, esse co-  
 gitur sobrie vivendo, ubi enim à manuariis  
 operibus lares suos redierit, si mensa illi sit  
 tripes, falis concha, & vappæ lagena, lau-  
 tē sibi vivere videtur, pulte, seu pane securi-  
 dario, & nigro victitans

*Nam tener, & niveus, molliq; siligine factus*

*Servatur Dominis . . . . . (a)*

quin etiam festis diebus plerunq; sacrum fin-  
 fumo, ut dici solet celebrare illi necesse est

Ast à pauperum, & operariorum mensis  
 quàm longè distant in Magnatum Palatiis, &  
 Principum Aulis mensæ, non elegantia, &  
 cultu, sed omnifario dapum genere instru-  
 ctæ, & oneratæ. At precor quot homines unius  
 Domini gulæ serviunt, ut ad illos recen-  
 sendos nomenclatore opus sit! Sic Saltua-  
 rios, Aucupes, Venatores, Piscatores, Co-  
 quos, Cupediarios, Prægustatores, Pocil-  
 latores, & comptam Ephæborum phalangem  
 grandes, & argenteas patinas longo ordi-  
 ne gestantium, videre est sollicitam, &  
 anhelantem. Frugales profectò, ac parcas  
 fuisse Deorum mensas, si iis conferantur  
 quæ



quæ olim apud Romanos Cæsares parari consueverant, & quæ nostra hac ætate in Regum Palatiis spectantur, fateri oportet, in illis etenim solo nectare, & ambrosia victitabant Dii, & si aliquando ambrosia saturi essent, solo nectare vivebant, ut de Jove Martialis lufit,

*Jupiter ambrosia satur, est nunc nectare vivit.*  
 Qualem autem chylosim ex tot diversis epularum generibus, ex tot monstruosis condituris, ex vinis, variis è regionibus conquistis fieri credendum est, quàm portentosas in venis, in visceribus humorum corruptiones progigni conjectare licet? Cùm igitur Viris tanta lautitia degentibus ægrotare contigerit, quænam, apta remedia habent medica Promptuaria, & Pharmacopæorum pyxides, quibus ipsis succurri possit! Quis Medicus, si sapiat, mochlicis remediis Camarinam hujusmodi movere aufit, quænam Panacæa, quod Nepenthes, ad tam grandes turbas componendas sufficiet? Tempestivè quidè sibi olim consuluit Aloysius Cornarius Patritius Venetus, qui alienis periculis edoctus, & cautior factus, cùm advertisset duos, quos habebat fratres, lautè, & opiparè, uti mos est Nobilium, assiduè degentes, in ipso ju-



ventæ flore , è vivorum statione sublatus , nec ulla ope medica servari potuisse , secum animo reputans , sibi quoque idem fatum imminere , si illorum vestigiis hæreret , non aliud effugium superesse credidit , quàm si sobriæ , & frugali vitæ se totum dederet , ex qua id beneficii est consecutus , ut integrum penè seculum fuerit emensus . Et quod magis mirere , senectutem adeò robustam , & vegetam traduxerit , ut nonagesimum agens annum , non minùs corporis , quàm animi viribus polleteret , non secus ac quilibet alius ætate , & viribus florens , ut cùm vellet , Equum conscenderet , venaretur , choreas ageret , folle luderet , legeret , declamaret , studiis vacaret , quorum egregium specimen exhibuit , opus in illa ætate de Vitæ sobriæ commodis conscribendo , Opus sanè elegantissimum , ac dignum , quod notis Medicis ab aliquo Professore illustretur , & in publicum bonum recudatur . En quomodò moderata vivendi ratio in hoc Nobilissimo Viro vitæ lineam feliciter produxit , quam intemperantia miserè intercidisset .

At non solùm familiaris ciborum , elementa per omnia quæditorum , quotidiana congestio ea est , quæ difficiliore , & magis dubias



bias curationes in iis efficit, qui divitiis affluunt, quam in popularibus, quorum victus simplicior est, non evenit; multa enim alia extant, quæ non sinunt, ut Nobiles, & Principes Viri è Medicinæ fontibus eam salubritatem hauriant, quam Artifices, & viles Operarii: Qui enim in Urbibus potentiores sunt, eoque magis, qui in summo rerum fastigio sunt positi, perrarò Medentium præceptis obsequuntur, & auscultant, eos enim qui cæteris imperitare solent, non parùm pudet Arti parere omnium imperiosissimæ, ut Medicinam vocavit Plinius, *quæ ipsis imperat Imperatoribus* (a). Cùm autem citissimè curari velint, & urgeant, si quid non profuit, illico damnant, & nova hinc indè præsidia exquirunt, illos tamèn non rarò sua diligentia frustrante, dùm præcocem sanitatem nonnisi longo remediorum usu, & temporis mutatione maturandam somniant. Hinc fit, ut Medentium judicia alioquin sana pervertantur, ac persæpè in futuri eventus præsa-  
gitione, quem habituri sint morbi, illi facilius divinent, qui ad ægrotantis mores potius, quàm peccantes humores, & morbi ingenium respiciant. Curiosum sanè, & memo-



ratu dignum, quod de familiari quodam Antigoni Regis memoriæ prodidit Celsus (a). Huic Nobili Viro, & notæ intemperantiæ, aliquot, sed mediocria aquæ inter cutis signa apparere incæperant, quam ob causam duos tunc temporis Medicæ Artis Professores, unum Chryssippi Discipulum, alterum Philippum Epirotem acciri Rex jussit, ut de nascente morbo judicium ferrent, & quid agendum esset, edicerent; de natura morbi, illius causis, parte affecta, inter ipsos prorsus conventum est, solummodò circà eventum non pauca fuit dissensio. Negabat asseverantèr Chryssippi Discipulus Ægrum hujusmodi cum sanitate unquam in gratiam redire posse, ac tandèm hydropicum moriturum, constantèr autem asseverabat Philippus Epirotes curabilem esse morbum, suamq; fidem oppignerare, & polliceri se suis pharmacis pristinæ sanitati redditurum. Acritèr hac de re coràm Rege disputatum est, donec tandèm litem hanc diremit Chryssippi Discipulus, judicii enim sui rationem aperiens dixit, Collegam suum rectè sentire, sed solum ad corporis morbum, se verò ad animi ægritudinem respicere, ut qui sciret qualis esset Juvenis illius intemperantia. Neque eum res fefellit,

(a) *Lib. 3. cap. 21.*



fellit, licet enim Æger ille sub Regis custodia, & Medici curantis diligentia custodiretur, remedia, quæ ad sanitatem conduxissent pertæsus, *malagmata sua devorando, & urinam suam bibendo* in extremum exitium se præcipitavit. Auream propterea egregii Scriptoris sententiam de hydropo licet subnectere. *Facilius, inquit ille, in servis, quàm in liberis tollitur, quia cum desideret famem, sitim, mille alia tædia, longamque patientiam, promptius his succurritur, quàm quibus inutilis liber-  
tas est.* Cùm non etiam proferre liceat promptius à Medicis auxilia præstari popularibus, & Operariis, qui obsequentes, qui Medenis fidei se totos concredunt, qui adventantem Medicum tanquàm præsens Numen excipiunt, qui præscripta remedia alacritèr capiunt, qui suasoriam non exigunt, antequàm oculus ori admoveant, de Medicina tanquàm re sacra contenti, potiùs credere, quàm scire; Cùm non, inquam, iis expeditiùs opem ferri asseremus, quàm splendidis personis, quibus cùm ex gravi aliquo morbo ægrotant, auctoritas sua

*Persapè noxia est.*

Quid porrò magis ancipites, variisque fortunæ casibus obnoxias efficit morborum



curationes, quàm ubi ad ægrum unicum curandum Medici plures convenerint? Satis vullgata est vetus Inscriptio illa, *Medicorum turba Regem interfecit*, sint licèt, experientia, doctrina, & fama percelebres, sint ingenui, & ab omni similitudine, quod perrarum est, alieni, par prodigio erit, si omnes idem censeant, si ad unicum scopum colliment; etenim si ullas in re, Comici dictam illud locum habet, *Quorum capita, tot sententiæ, suus cuique mos* (a), maximè in hac re verum esse deprehenditur; cuique enim Medentium pro sua indole, pro ingenio, quo pollet, de eo, quod agendum est, in quo potissimus versatur curationis cardo, facile suam sententiam profert, sic ut unus sine mora properandum censeat, hic cunctandum, alter lentè festinandum, donèc dum consultatur, agendi opportunitas, quæ præceps est elabatur. Inter has fyrtes, gravitèr periclitantur Nobiles, & Principes Viri, dum gravis alicuius morbi tempestate premuntur, quos non sine commiseratione aliquandò spectare licet à Medicis circumventos, ac veluti obsessos; ac si quis ex hoc ordine alieno periculo edoctus juramento se obstrinxerit, nolle nisi unicum salutis suæ Rectorem habere, ubi

ex



ex morbo cogatur decumbere , peritum potius, quàm disertum, non tam facilè votorum suorum compotem fieri illi dabitur , ubi enim ægrotare contigerit , si fortè ingravescat morbus , Uxor , Filii , tota domus , ac Civitas reclamabit uni Medico rei summam non esse committendam , & Familiæ splendori indecorum esse , nisi plures Clarissimi Viri in subsidium advocentur , quasi sine fastu , & ambitione ægrotare non liceat , imò quod magis mirere, Medicus ipse , cujus fidei , & peritiæ se totum tradiderit , rationibus , sive clam , sive precario ægrum ipsum compellet , ut unum Collegam sibi habere permittat, quocum scilicèt in sinistro eventu potius partiatur infamiam , quàm in secundo communicet gloriam . Ab hujusmodi angustiis populares homines absolvit paupertas , & humilis conditio , utpotè quibus, cum decumbunt, unus sufficit Medicus , interdum etiam nullus , succenturiante Natura , vera , ac fida morborum medicatrice .

At neque Medentium tantum , sed medicamentorum quoque copia , ac turba promiscua , Nobilibus Viris offerri solita , sæpè numero graviores efficit morbos , seu saltèm protractiores facit , qualia incommoda non sentiunt



populares ægri, & operarii, in quibus Natura, quæ paucis contenta est, remedium parvitatem, & simplicitatem facilius sustinet, & instaurationem suscipit. Conferantur quæso, si lubet, ingentes illæ Vecherianæ, & Schroderianæ Pharmacopææ, & Chymicæ Collectaneæ, aliæque permultæ, quæ in Procerum, & Nobilium gratiam videntur conflatae, conferantur, inquam, cum Medicina pauperum Prevotii nostri libro. quidem parvo, sed aureo, lo, uti scripsit de Crantoris Opusculo olim Tullius. Nec fortè quis putet, vulgaria medicamenta, & paratu facilia popularibus præscribi, ne tenues illorum facultates pretiosioribus remediis, & operosè elaboratis penitus absumantur, nam si res benè pensitetur, non hanc ob causam facilia medicamenta, & intrà Urbis pomæria prognata, à bono, & perito Medico huic hominum generi præscribi solent, sed quia humorum conditio, quibus scatent illorum corpora, huiusmodi pharmaca exposcat, & vehementiora respuat. Longè profectò diversa est totius humoralis massæ in populari, ac in Nobilium corporibus; Plebei enim homines, qui intrà Urbes degunt, & laboriosæ vitæ sunt addicti, [ si quosdam Artifices demas, qui sedentarias artes exer-

cent,



cent, Sutores, Sarcinatores, aliosque hujusmodi] eòque magis rusticanæ gentes, quibus ab agrorum cultura nullum otium, nullæ feriæ, nisi hyeme parumpèr, cum nix alta jaceret, cruorem habent, cæterosque, quotquot sunt in corpore, humores ad legem motus circularis sanguinis faciles, & proni, cuius rei argumentum non leve præbet venarum latitudo, ut non immeritò, qui validis exercitiis vitam traducunt Epiphlebi dicantur. Quid enim promptius, & facilius sanguinem vitæ humanæ thesaurum in debito fluore detinet, quàm motus, & corporis exercitatio? Hinc non tam facile in vasis sanguifluis, ac præcipuè in arteriarum finibus contingunt stagnationes, quales in iis, qui mollem, & eternosam vitam agunt, sæpenuerò observantur. Hanc ab causam sicubi hominibus, quotidianis laboribus exercitis febrile, sive aliquo morbo laborare contigerit, & illorum corpora à noxiis humoribus expurgare necesse sit, tanto molimine opus non est, nec fortioribus catharticis utendum est, cum solis coproticis id absolvi possit, quando experientia non rarò commonstrat, à pharmacis fortioribus malè habere pauperem plebeculum, & exolutiones, sive hypercatharces subire,



re , erroneum certè est , mea quidem sententia , Operarios fortes alioquin , & robustos , fortiora medicamenta faciliùs perferre , quàm molles , & delicatos Viros intèr otia , & delitias enutritos , in his enim ab humorum lentore , in quibus Ventriculus , & naturalia viscera sunt infarcta , franguntur purgantium spicula , ac inviscantur , ubi in operariorum stomachis , ac toto intestinorum volumine , in quibus non hospitatur tam crassa pituita , quam motus , & exercitia extenuant , validiora solventia vim suam exerunt , & vires exsolvunt . Quid usitatiùs , quid frequentius , quàm videre Religiosos Viros , qui in Claustris desidem vitam trahunt , literarum studiis occupatos , parata è stibio remedia : aliaque hujusce generis in usu habere sine noxa , quæ in plebejo homine magnas cierent turbas ? Licet enim crassiori victu utantur Artifices urbani , & rusticanæ gentes , urgente sic necessitate , ea tamen est exercitationis virtus , ut alimenta etiam crassiora ab acri fermento dissolvantur , & in justum fluorem facessant , quàm tenues cibi in otiosis , & feriatis corporibus . Non enim satis est selectos , & facilis coctionis cibos in usu quotidiano habere , ut rectè quis nutriatur , &

be.



benè valeat , sed quod potissimùm requiritur ,  
 ut , quod assumitur , nisi ab humana natura  
 adeò sit alienum , à ventriculi fermento in  
 liquorem abeat , ac iusta anadosi per corpus  
 feratur.. *O dura messorum ilia (a)* , exclama-  
 bat olìm Venusinus Poeta admiratione plenus ,  
 quomodo segetum messorum ardenti sub Sole  
 allium ederent cicutis nocentius , ut ipse ait ;  
 Egregiè quoque in hanc rem , nec minus me-  
 dicè , quàm philosophicè scripsit Lucretius .

*Nec multum refert , quo victu corpus alatur ,  
 Dummodo , quod capias , concoctum didere possis  
 Artibus , & stomachi bumeetum servare te-  
 norem . [b]*

Ne autèm quis hæc mea commenta esse , &  
 mentis cogitata , ut propositum meum quo-  
 quo modo confirmem , adeamus , si lubet , Hip-  
 pocratem nostrum fallere , & falli nescium ,  
 si ab illo percunctemur , in quo statuenda sit sa-  
 nitas , non enim ulla in re sanitatem sitam  
 esse ille voluit , quàm in iusta quadam com-  
 moderatione inter cibos , & labores , obser-  
 vare enim oportet , ajebat ille , *an labores  
 cibos superent , aut moderatè inter se habeant ,  
 utrum enim tandem superetur , morbi fiunt , ab æqua-*  
*litate*

[ a ] *Epodon. L. Ode 2.*

[ b ] *De Rer. Nat. l. 4.*



*litate autem intèr ipsa sanitas adest [a]. At precor in Proceribus, & summis Viris, qualis est proportio inter cibos, & labores, quis non fateatur, si ad illorum vivendi modum parumpèr attendat, longè superari labores à cibis, quàm cibos à laboribus, quid mirum postea, si crassiores succi cumulentur in venis, & æquabilis ille motus in cruoris circulo pervertatur, & unà cum ipso naturalis totius corporis œconomia, quæ postea non tam facile, nec nisi validioribus remediis restitui possunt, neque sibi blandiantur, quòd exercitationis necessitatem agnoscentes, identidem equitatione, venatione, aut quovis alio modo se exercendo, incolumes præstare possint, non enim adeò securum est, à diuturna corporis quiete ad insolita, & valida exercitia migrare, atque id est, quod Oraculi ad instàr scripsit Hippocrates; *facilius esse transire à negotio ad otium, quàm ab otio ad negotium* [b]. Cùm ergò illustrium Virorum hujusmodi vivendi genus, ut cibi superexcedant labores, non adeò constans, & firma poterit esse illorum valetudo, nec tam facile restitui, ubi à statu suo deciderit, sicuti in popu-*

( a ) L. 3. de dieta num. 7.

( b ) De rat. vic. in acut. d. n. 24.



pularibus, in quibus cum intèr labores, & alimenta proportio ad æquabilitatem magis accedat, expeditiores erunt viæ, per quas impuritates, quæ in illis morbos faciunt, promptius è corpore eliminantur, siue ano, siue cato; siquidè si magis fluxiles, & ad motum proni sint humores medicamentis emeticis, catharticis, deobstruentibus, aliisque minùs obfistent. Sic ubi hoc hominum genus febribus tenetur, si sudores elicere (quod præcipuum in febribus solet esse præsidium) opportunum censeatur, diaphoreticis facilioribus, è vegetabilium familia petitis res absolvitur, neque opus est ad Bezoartica, Jovialia Mineralia confugere, uti in Nobilioribus Viris, ut hujusmodi machinis obstacula, & humorum resistantia vincatur. In Operariis enim, & Artificibus, qui ex consuetis exercitiis proni sunt ad sudorem, ut etiam media hyeme ad quemlibet motum illorum artus madescant, perfacilè Medicus remediis parvo constantibus optatum sudorem impetrabit. Idem quoque de diureticis asserendum, ubi per urinarias vias serosa colluvies sit educenda. Nimius essem, si per singula morborum genera ire vellem, & palam facere, quomodò hic, vel ille præter naturam

affe-



affectus , promptius , & facilius curetur in pauperculis , & vili plebecula , quàm in di-  
tioribus . Unicum tamen morbum pro reliquis omnibus in scenam producere mihi liceat. Lues Celtica , morbus olim ignotus , & exterus , sed jamdudum Civitate donatus , hujusmodi est indolis , ut cuique hominum generi , cui-  
que ætati , temperamento facile consocietur , adeò philanthropos est hic morbus , nullius consuetudinem , nullius hospitium , & contubernium respuit , *æquo pede ingreditur pauperum tabernas , Regumq; turres* , nulla illi ambitio , nullus fastus , veluti Podagræ , quæ penès Magnates in Palatiis hospitatur , in humiles verò casas , & rusticorum mapallia , pedem immittere , dignitati suæ indecorum existimat . Podagra habet nescio quid regium , ajebat Cardanus , *sedet , cum alii stant , cubat in mollibus stratis , & si in publicum procedit , sella gestatur (a) ;* sic olim dum Carolus Quintus Imperator super Equum sublimis Mediolanum ingressus est , illi ad latus adstabat Antonius de Leva in lectica , quia podagricus ; at non sic Lues Venerea , multam habet comitatem , & sociabilitatem , Amoris enim est filia ; cum ergò indiscriminatim hæc morbosa affectio quemque corripiat , ac  
mille



mille modis viam sibi ſtruat, etiam per oſcu-  
 a, per halitum, & alimentum, ut cùm à  
 Nutrice infecta lac pueri exſugunt, nemo eſt  
 profeſſor, qui hoſpitem adeò infeſtum è domo  
 ſua procùl abigere non velit, ac ſtudeat. Si ta-  
 men bonos, & ingenuos Præcticos conſula-  
 mus, nullum profeſſor fore exiſtimo, qui ultrò  
 non fateatur, feliciùs ſanari hunc morbum  
 in populari, & ruſtica gente, quàm in Di-  
 vitibus, & Nobilibus Viris. Sæpènumerò  
 præmiſſa purgatione ſimplici Guajaci deco-  
 ctione lues illa abſtergitur, & ſi quod reli-  
 quum eſt virulentia, dùm ad ſolita exercitia  
 oblegantur, quandò ſola exercitatio, ſed va-  
 lida, & continuata, primis illis temporibus hu-  
 uſce morbi, Fallopio teſte, ſingulare erat re-  
 medium, facilè excutitur, ut in hipocauſtis  
 non ſint uſtulanda illorum corpora, neque  
 atralipta opus ſit, qui Mercuriali unguine  
 animam perſæpè cogat expuere, humores  
 nim ob affiduos labores, & frugaliorem vi-  
 tæ, non adeò craſſi ſunt, nec tantæ uber-  
 atis, ut tam altas radices morboſa ſemina  
 cuiſ Venereæ jacere poſſint, quemadmodum  
 in iis, qui ex nobili genere nati ſunt, & in  
 conviviorum lautitia vitam traducunt (a). Sic  
 olim

(a) Fallop. de Morb. Gall. c. 39.



olim Dorias Celeberrimus ille Classium Ductor remiges suos, quotiescumque gallico morbo laborarent integri remi faginei decocto, & solita remigationis exercitatione sub dio & in medio mari ad sanitatem deducebat.

Quantum porrò in quibusque morbis, ac præcipuè malignis, qui præsens exitium minitentur ad feliciorum curationem conducant, decumbentium animos, molestioribus curis quantum licet esse vacuos, nemo non novit: etenim in subita quadam pernicialis morbi tempestate, si ægrotantis animus, variis curarum fluctibus, tanquam in Euripo, huc, & illuc jactatur; quid, precor, præstare valeant, & Medicus sua solertia, & doctrina quid pretiosiora medicamenta? quid celebriora Bezoartica, quid Panaceæ, aliaque hujusmodi? Oculorum morbosos affectus sanari non posse (a), nisi prius curetur caput, neque caput nisi prius curetur corpus, neque corpus sine animo agebat Medicus quidam apud Platonem, quando omnia penè bona, & mala ab animo lege consortii corrivant in corpus; cum itaque animis curarum multitudine obsessis, multum officiat sanationi, morborum, & ab animo ipso curatio esset auspicanda, quis, oro, ibit inficias, quin hanc

( a ) Plato in Charmide.



hanc ob causam quoque præ cæteris prospectiores eventus fortiantur pauperes, & viles operarii, quàm Excelſi, & Nobiles Viri? Conferatur quæſo viris Artifex in ſuo grabatulo ex gravi morbo decumbens, ut agnoſcat ſibi non leve vitæ periculum impendere, conferatur inquam cum Magnate aliquo; Ægrè fert uterque dùm ſentit, ac timet, ne ſibi hæc vita, qua nihil eſt cariùs ſit deferenda. Vtrius verò animum moleſtioribus curis tranſverſum agi putandum eſt, plebei hominis, an Patricii? dolet fanè miſellus Artifex, dùm ſe in ancipiti caſu eſſe videt, & periculum inſtare, ne Conjugi, Filiis ſupremum vale dicere illi neceſſe ſit, attamèn ad Religioſi viri venientis adſpectum non expaveſcit, quia ipſemet ſpontè accerſiri jubet, qui ſacra remedia adminiſtret, non illum rei, familiaris, neque condendi teſtamenti cura ſollicitat, neminem quærit, cui filiorum tutelam commendet, quos ſummi Reſtoris providentiæ commiſit, ſic de divina pietate ſecurus placidè, quantum humana imbecillitas patitur, ad mortem ſe componit, & quia non agnovit literaturam, ſicùt audivit, ſic ſperat ſe viſurum in Civitate Dei (a), ſi illi ab hac vita ſit migrandum.

Tom. IV.

F

dum.

( a ) *Psalm. 70.*



dum . Jacet alter aurato in lecto purpura , & bysso regaliter instrato , ac dum veretur ne, à morbi violentia è vivorum albo eradatur , & stare loco nescit , curarum mole licèt oppressus , hanc , & illac se jaëtans , animo identidem occurrant opes honores , dignitates , familiæ splendor , Fortunæ bona , Conjux , Liberi , quæ omnia possit desererere , adeò ut , quid de rebus suis deliberet æger, sæpè nesciat , & impar consilio illa fati committat. Si verò in flatu orbitatis Vir aliquis ex Nobilium ordine dives , & opulentus existat, & gravitèr ægro-  
 tet , ubi rumor aliquis vagari incipiat gravitèr illum periclitari , ex templò sibi tanquàm ad cadaver adesse videt , vultures , captatores , hæredipetas , vultu quidèm pietatis officia simulantes , sed qui citam illius mortem opperiantur . Quid verò si invalescente morbo videat amicos affines accedere, illum bono animo esse hortantes , suadentesque, ut oblata alicujus festi occasione , & devotionis ergò animum à culpis expiare , & sacra Synaxi beare se velit . At si magnæ sunt angustia , & curarum fluctuationes , cùm æquis viribus intèr naturam , & morbum decertatur , & nescitur, quorsum res evasura sit , nùm ad salutem , an ad interitum . quid porrò cum res conclamata est , ac depo-  
 sito



sito simulationis vultu mors præ foribus denuntiatur, ac de tabulis testamenti interrogatur, & de funebri pompa, humi ne, an sublime velit putrescere. Verùm hæc Magnarum, & potentiorum Virorum angustias nemo melius novit, quàm qui in Medicina faciendâ ætatem suam triverit. Si ergo nihil magis cavent Medici, nihil magis apud ægros & affidentes crepant, quàm ista animi pathemata, quæ curationem feliciter, & ex arte inchoatam possint evertere, cur statuere non liceat, hanc quoque ob causam, longè feliciores esse morborum curationes in vulgari gente, quàm in Nobilium, & Illustrium Virorum ordine.

Haud aliter in feminis Illustrioribus difficiliore, & magis protractæ obtingunt morborum curationes, & curantibus Medicis non leve negotium faceffunt, quàm in plebejo fæminarum genere. Nobiles enim Mulieres, & Splendidæ Matronæ, intèr otia, & molles delicias enutritæ, gentilitia intemperie non minus, quàm viri laborant, undè ciborum varietate oblectantur, struenuè perpotant, noctes cotas vigilant, in ludis, choreis, theatris, ac postea ad multas diei horas altum stertunt, ac simul exindè meridiando, commessando,



pergræcando, uti ajebat Plantus, vitam ducunt  
 ut Viros etiam provocent, sicubi autem ægro-  
 tarint, quàm morosæ sunt, quàm molestæ, &  
 artis præceptis refractariæ. Qualem crucem  
 Medicis figunt, ut non rarò easdem ludificar-  
 necesse sit, larvata remedia offerendo. *Quædam*  
*nonnisi decepta sanantur, ajebat Seneca (a),* histo-  
 riam referens filix cujusdam Regis, quæ cum  
 in mamilla tumorem haberet jam maturum, nec  
 ullis precibus adduci posset, ut sineret illum  
 sibi ferro aperiri. Sagax Chirurgus ab ipsa tan-  
 dem impetravit, ut spongia oleo imbuta tu-  
 morem blandè mulcere sibi liceret, dum igi-  
 tûr lenitèr tumorem oblinat, scalpro in spongia  
 abscondito abscessum aperuit, quo pacto re-  
 giam puellam grata deceptione sanavit. Con-  
 querebatur olim hic morum Institutor, quòd  
 sua ætate Mulieres Medicorum maximum sua in-  
 temperantia mendacem reddidissent (b) *Mulieres*  
*podagra non laborare, nisi menstrua defecerint,*  
*neque calvas fieri inter sua oracula scripsit Hip-*  
*pocrates. Atqui bæ, ajebat Senecas (c), jam &*  
*capillis destituuntur, ac pedibus agræ sunt. Non mu-*  
*tata feminarum natura, sed vita est, nam cum vi-*  
*rorum licentiam æqua verint, corporum quoque viri-*  
lium

a ) De ira l. 3. c. 39.

( b ) 6. Aph. 36.

( c ) Seneca Ep. 91.



lium vitia æqua verunt. Beneficium sexus suis vitiis  
 perdiderunt. Hac tamèn Senecæ in muliebre  
 genus tam acri, & felle resperfa objurgatio-  
 ne, illustres Fæminas tantùm fugillari, nequa-  
 quàm verò vulgares è plebe mulieres, ex aliis  
 ejusdem Scriptoris verbis, quæ hìc missa facio,  
 satis liquet: Perrarum enim est nostris quoque  
 temporibus, & monstro simile, plebejas mulie-  
 res, ac præcipuè rusticanas assiduis laboribus,  
 & frugaliori victui ex necessitate addictas  
 arthriticis fluxionibus tentari, nisi fortè ali-  
 quando in caritate annonæ leguminibus uti  
 cogantur, quemadmodùm in constitutione qua-  
 dam penès Hippocratem, ubi in Æno Civi-  
 tate Thraciæ Fæminæ, & Viri, qui continen-  
 tèt leguminibus, & orobo præcipuè ute-  
 bantur, gonagra laborabant [a]. Quid mirum  
 igitur si in tam improprio, & naturæ legibus  
 incongruenti vitæ genere frequentius, & gra-  
 vius præ vilioribus fæminis ægrotent. Nobiles  
 Matronæ, & affectibus, & morbis, qui se-  
 xui magis sunt proprii, mulctentur, quàm cæ-  
 teræ mulieres, facilè enim fiunt histericæ,  
 crebrò subsistunt catamenia, difficiliore sunt  
 partus, & magis protracta puerperia, & con-  
 fectariè in iis magis sint laboriosæ curationes,

F 3

ast

(a) 4. in 2. Epid. Vide Gal. 3. Apho. 36.



ast hæc in plebeis , & rusticanis mulieribus, ob  
contrarium omninò vitæ genus non eveniunt;  
parciùs enim degunt, magis laboribus exer-  
citæ , & operosæ totos dies vigilant , atque  
etiam antelucanis horis ad consueta munia  
exurgunt, ac si quandoque illis ægrotare con-  
tingat, paucis remediis faciliùs evadunt.  
Quàm bellè, quàm elegantèr Poetarum Prin-  
ceps descripsit veram Matrem familias.

*Cui tolerare colo vitam, tenuique minerva  
Impositum cinerem, sopitos suscitât ignes  
Noctem addens operi, famulasque ad lumi-  
na longo*

*Exercet penso, castum ut servare cubile  
Conjugis, & possit parvos educere natos. (a)*

Non est ergò, quòd Nobiles, & Principes  
Viri, sicubi gravioribus morbis plectuntur,  
quòd Artem, & Artifices culpent, & execren-  
tur, si non tam citò, ac tutè curentur, uti  
pauperes, & viliores Artifices, sed æquo ani-  
mo ferant, si aliquid in terris sit, quod ple-  
beæ, & proletariæ genti invideant.

ORA-



# ORATIO QUARTA

Veram Februm Theoriam, & Praxim  
intèr ea, quæ ad huc desiderantur,  
esse recensendam.

*Die VI. Novemb. Anno MDCCII.*



**B**lennali peragratione non im-  
prosperè tamèn, neque infru-  
giferè, ut reor, celebriores  
microcosmici imperii provin-  
cias, & fines medica indagine  
lustravimus, singularum scili-  
cèt humani corporis partium, non structu-  
ram, & usum, quam Spartam Prosectorum  
solertiæ exornandam relinquimus, sed mor-  
bos inquilinos, quantum per vires nostras  
licuit, pervestigavimus, & singularia remedia,  
quæ ratio, & usus salubriora ostenderit, re-  
censuimus. Quæ Monstra, quas pestes, in-  
trà ipsius Vitæ hospitia, nedùm in extremis



artibus cubantes deprehendere obtigerit ,  
 Vos ipsimet nostis, Ornatissimi Juvenes, quo-  
 rum non paucos hoc Anno quoque, quod fœ-  
 lix, faustumque sit, summa cum animi mei  
 voluptate datum est revisere. Herculi profe-  
 ctò terrarum Orbem discurrenti non occur-  
 rere tot Belluæ, tot Monstra, quot nobis ob-  
 viam processere multiformes, & monstruosæ  
 morborum cohortes, ut non minùs laboris  
 fuerit modum tradere, quo ab iis, quos ob-  
 sederant locis, abigi possent, ac ipsimet Her-  
 culi Augiæ stabulum repurgare. Memorix  
 vestræ non refricabo, quos perniciales affe-  
 ctus intrà ipsius Palladis sacram Arcem, &  
 Animæ Lararium, Caput scilicèt, depre-  
 henderimus, herculeos verè morbos, ve-  
 luti Epilepsias, Apoplexias, Catalepses, Ma-  
 nias, Phrenitides, & alios consimiles affectus,  
 qui Animam ipsam è sua sede deijcere sunt  
 potis, nec non quæ mala Cor ipsum Vitæ  
 Fontem, ac primum movens impetant, ac a-  
 rietent, uti Syncopes, Polypi, Eclyses, &  
 animatæ quoque pestes, verminosa scilicèt  
 propago, nec memorabo, quot exitiales æ-  
 gritudines naturalia Viscera, Stomachum,  
 Intestina, Hepar, Lienem, Renes, & ipsa  
 quoque generationis organa infestent, & exer-  
 ceant,



ceant , ac deniquè non rēpetam , quomodo  
pars quælibet suos patiatur manes .

Per biennium itaque cuncta isthæc perve-  
stigavimus , & ad oppugnandos tot hostes , qui  
Vitæ nostræ clanculum , & apertè excidium  
pertentant , è triplici Regno Animalī , Vege-  
tabili , & Minerali subsidia advocavimus .  
Itum est in viscera terræ , ut ea , quæ Sulmo-  
nensis Poeta , alio tamen sensu , irritamenta  
malorum vocavit , in remediorum materiam  
facefferent .

Verùm ut ut operam nostram pro virili  
impenderimus , non omnis tamèn penitùs  
exantlatus est labor ; multum operis adhuc ,  
imò quod præcipuum , & maximum est , sub-  
eundum superest , cum Hydra multorum capi-  
tum , quàm igne potius exacuas , quàm peri-  
mas , nobis hoc Anno agendum , cum Febre  
scilicèt , cuius Monstri ingenium atrox , ac  
versipelle clarioribus Artis Proceribus ad tot  
Secula illufit , & quod dolendum , nostrorum  
quoque temporum Antesignanis non rarò il-  
ludit , & imponit .

Quàm cautum igitur , quàm circumspectum  
oportet esse Medicum , ubi cum hoc Protei-  
formi monstro congregiendum accesserit , nun-  
quàm enim satis armatus , satis instructus ad  
illud



illud oppugnandum incedet . Id fanè mirum est , quòd cum Ars Medica tot morborum quibus humana corpora malè plectuntur, naturam, sedem, & curandi modum indagine nunquàm satis laudanda, in apricum eduxerit, in curandis verò febribus, quo morbi genere nihil humanæ naturæ exitialiùs, nihil horribiliùs post tot Seculorum fluxum, tam parum profecerit . Hinc Arti, cui milito, & in qua consenui, injurium me ab ingenuis, & cordatis Viris saltèm nequaquàm credi posse arbitror, si hodierna hac mea Oratione demonstrarem veram febrium Theoriam, & Praxim intèr ea, quæ desiderantur, adhuc esse recensendam .

Neque verò perterrefieri in ipso limine Vos velim, Ornatissimi Juvenes; absit enim, quòd meticulosos faciam, quos alacres & animosos peropto, cautos tamèn, ac prudentes, ubi præsertim de humano corio agitur; expertus quippe ex longa observatione didici, quæ confidentia febrium passim suscipiatur curatio, qua confidentia, urpotè ignorantiae filia, nihil in Arte Medica exitialiùs; Inscitia enim, ut vetus fert paræmia, confidentiam parit . Si militiæ peritos, & clariores Exercituum Ductores consulamus, longè securiùs, & auspica-  
tius



tiùs est, pugnatu-  
ros de hostium fortitudine,  
& vafricie in antecessum commonefacere,  
quàm de illorum ruditate, & in re bellica in-  
experientia securos reddere, ad fortitèr e-  
nim pugnandum acres stimulos adiicit de in-  
signi victoria, & opimis spoliis concepta præ-  
sumptio, quàm cum viliori adversario cre-  
dita concertatio.

Haftenùs itaque cum de morbis particulari-  
bus ageremus, quibusdam veluri velitationibus  
cum hoste palante pugnavimus, modò cum Fe-  
bre morborum Principe, cujus imperio omnes  
penè morbi auscultant, & facili obsequio so-  
cias vires jungunt, totis viribus, & pleno Mar-  
te decernendum, ac intèr armorum strepitus,  
quibus aures nostræ verberantur, ac obsur-  
descunt in hoc Literatorum Asylo, seu po-  
tiùs Prytanæo, quod amplissimi Senatus Ve-  
neti magnificentia nobis indulgit, exerceamur,  
ac documenta captemus, qua fortitudinis, &  
prudentiæ temperantia febrium oppugnatio-  
nes aggredi oporteat.

Primò itaque quod in re militari primum  
quoque est, adversarii, cum quo colluctan-  
dum, naturam, indolem, ac vires, quantum  
solertiæ datum est, perspectas habere necessum  
est, ne cæco modo, callidissimo cum hoste con-  
gre-



grediamur. Ut autem infitæ feritatis, qua febris ad humani generis internecionem passim exardescit, notio aliqua mentes vestras subeat, ac altum incideat, advertatis velim, quòd cum in morborum censu alii sint Endemii, & Indigenæ, qui scilicet locorum, & regionum peculiare sunt, ut Plica in Polonia, Scorbutus in Germania, Tabes in Anglia, Bronchocelæ in Appenini incolis; alii sint Epidemii, qui in quibusdam constitutionibus per vulgus grassantur, uti alui fluxus, Rheumatismi, & similes alii morbi, sola Febris non Endemii, non Epidemii, sed Cosmici, idest Mundani affectus, cognomentum sibi adsciverit, ac adoptarit. Quis locus enim, quæ regio tam impervia, extrà Anni, Solisque vias, gelidoque sub axe, quò non pervadat febrile incendium?

Habent ætates suos peculiare morbos, suos sexuum diversitas, suos varia, ac diversa Anni tempora, de quibus Magnus Hippocrates, suos quoque varia vitæ conditio, & exercitii genus. Febri non vacat talia minutè distinguere, Nulla non ætas Febri Victima jugulatur; non infantilis, quæ humidissima est, non senilis, quæ frigida est, fatis habent præsidii, ne febrilis flammæ sint pabulum: Tàm fortiori, quàm sequiori sexui infesta est Febris,

tam



tàm pauperes in suis tabernis , quàm reges in suis turribus æquo pede proterit , idque nullo non Anni tempore . Nullis itaque legibus adstricta est Febris , imò penitus exlex , excors , & exasse tota inhumanitas est .

Verùm quod dolendum est , post Annorum chiliades , omnes Medentium conatus , & machinamenta ad Febris naturam explorandam , nedùm oppugnandam penè in irritum cesserint . Quotiès cùm Veterum , tùm Recentiorum Medicinæ Procerum præstantiora monumenta , & quæ creduntur Cedro magis digna Volumina , evoluerè mihi volupe est , idem prorsus mihi evenire sentio , ac Terentiano Seni , qui cùm in filii sui causa plures Advocatos accersisset , eosque intèr se pugnantes deprehendisset , *Incertior* , inquit , *multò sum quàm dudum .* (a)

Non nisi sub Ignis symbolo Febrem nobis adumbravit Magnus Hippocrates ; passim enim in illius Operibus modò *Pyr* , modò *Pyretos* appellatur . Hippocratis vestigia relegens Galenus *Febrem nativæ caliditatis in igneam naturam vocavit* (b) , in cujus sententiam postmodum manibus & pedibus , ut dici solet , ivere , qui Medicinam ex traduce discunt , ac tradunt in Scholis .

( a ) In *Phormione* Act. 2. Sc. 4.

( b ) In *Comment Aphr.* 16. p. 5.



lis . Stetitequidè longum in tempus hæc Galeni opinio, & ad oppugnandam Febrem nihil priùs nihil salubriùs creditum, quàm si *Frigida pugnarent calidis, humentia siccis*.

Non parùm tamèn prægresso nuper Seculo nutare cæpit hæc Galenicorum opinio, postquam enim desitum est *sapere ex commentario*, & Veterum interpretatione, ac sedulò secretiora Naturæ adyta pertentari cæpta, nova jacta sunt fundamenta, ingentes, ac magnificæ extructæ sunt moles, adeò ut Febris nostra hac ætate longè aliam præferat faciem, quàm quòd olim veram ne, an adhuc personatam, non ausim asserere. Scriptorum enim unusquisque pro lubitu vario adspectu, ut polymitha veste illam cæpit nobis depingere, prout idèam sibi mente confinxit.

Hinc nova indignantis Archei, & Animæ sensitivæ thymoseos vocabula in Scholas irrepserunt (a), sic nonnulli post cognitam in humano corpore sanguinis pericyclosim Febrem nil aliud esse, quàm sanguinis motum præter naturam acceleratum credidere, (b) alii ab inversa ratione arguentes, Febrem in sanguinis motu præter naturam retardato constituendam tradidi-

( a ) *Helmontius de Febr.*

( b ) *Corn. Bontechoe in Diath. de Febr. Blacar. Institut. Medic lib. 3. c. 11.*



didere, alii ab opere pistorio Zymosim in massam sanguineam deduxere, & exinde febrilem effervescentiam, nec defuere qui caliditatem Febris esse quid adscitum, ac posterius adveniens, nec illius perpetuam comitem, (a) Febres algidas in Scenam inducendo, quæ a sui principio usq; ad ultimam solutionem unà cum perpetuo frigore tragædiam suam absolvant. Sic nova in dies procedunt Febrium Systemata, seu potius, si ritè expendantur, præcariæ Hypotheses, & grandia postulata.

Nomenclatore porrò opus esset, si Febrium singulæ differentiæ, & speciosa nomina, quibus nostra ætate insigniri solent, sint recensenda. Veterum nominibus, quibus Febres quædam non vulgares designari consueverant, tot alia addidere Recentiores, uti qui Febrium nomenclaturam ex subsellio recitare velit, non vulgari memoriæ commendatione dignus cense-ri possit. Nequis tamèn putet, hujusmodi consuetudinem alioquin laudandam mihi improbari, re ipsa enim Febris Monstrum est, cui non secus ac Furiarum maximæ, sunt

*Nomina mille, mille nocendi Artes.*

Quot autem disceptationes circà Febris subje-

( a ) Vide Regn. Graaff. de S. Pancre, l. 11.  
Bontekoe in diatriba de Febr.



bjectum, nùm pars solida sit, vel fluida, nùm  
 Cor primum vivens, an tota cruoris moles  
 utpotè febrilis tempestatis capax, viguere,  
 & adhuc vigent in Scholis? Quot paritèr dis-  
 putationes de vera & proxima Febris causa,  
 nùm cum Galenicis bilis sit, vel sincera, vel per-  
 mixta, vel putrescens, vel solum excalefacta  
 & perusta, an cum Hermeticis sulfur, & ni-  
 trum Microcosmi accensum, vel Alchali cum  
 Acido lucta, & conflictus. (a)

Quot paritèr somnia, & figmenta circà pe-  
 riodi, & circuitus in Febribus causam literis  
 prodita fuere! Profectò quemadmodum in to-  
 ta Philosophia nihil est, quod solidiora torse-  
 rit ingenia, quàm fluxus, & refluxus Maris sta-  
 tis horis veræ causæ disquisitio, ac præcipuè  
 Euripi in Euboea, ubi septiès die, ac nocte flu-  
 ctuum observatur reciprocatio; ità in universa  
 Medicina nihil æquè Clariorum Virorum fati-  
 gavit indaginem, sed frustrante diligentia,  
 quàm febrilis circuitus causæ pervestigatio?  
 Quis enim, precor, solidam rationem, quæ  
 Sapientum palato arrideat, adhuc protulit, qua-  
 rè Februm quædam quotidie, aliæ alternis  
 diebus, aliæ quarta, quinta, sexta quaque  
 die statis horis redeant, ac tempora discer-  
 nant,

( a ) Vide Laurent, Joubertum in suis Paradoxis.



nant, non secus ac elaboratissima Automata! Quis Clinicus tam solers, tam expertus est, qui ad *Ægrum* Febre primò correptum accitus tentato pulsu, dictatoriè pronunciare possit, hujusmodi Febrem fore vel intermittentem, vel continuam, Tertianam simplicem, vel duplicem, Quartanam, vel alterius sortis, quidquid scripserit Galenus eum Medici nomine indignum qui Febris typum in illius primo insultu non dignoscat (a), ac præsertim si quartana fuerit! Non immeritò sanè Jo: Campeggius Galenum ob tam gloriosum assertum gravi censura plectendum credidit (b), illum jactabundum vocans, & cæteros græcos in historia mendaces, quod itidem asseruit Celeberrimus Sylvius, hujusmodi gloriationem thraſonicam appellans.

Cum ergo tam inflexa, tam involuta sit Februm natura, ut post diuturnum Seculorum fluxum, inter easdem ambages, ac in eodem luto hæſitemus, neque in universa morborum classe ullus extet nobis hostis infensor, & cui minùs fidere oporteat veluti Febris (c), attamen eò audaciæ ventum est, ut inter Quæstiones Medicas sit, num ad alios morbos curan-

Tom. IV.

G dos

(a) L. 3. de Crit. c. 4. P. de differ. Febr. c. 10.

[b] In campis Historialibus

(c) Vide Zacut. Lusit. de Prin. Med. Hist. l. 1.



dos Febrem excitare liceat, eò quòd interdum in quibusdam affectibus, veluti convulsione, & Hippocondriorum dolore superveniens Febris remedii loco fuerit, quasi in nostra potestate sit, ignem febrilem accendere, ac pro lubitu ipsum restinguere. Quàm libenter scirem, quodnam corpus sive de genere simplicium, sive compositorum prosteret, quo quis Tertianam febrem, Quartanam, Synocham, vel quamcunque aliam excitare possit. [a] Pro fabula enim accipitur, quod quidam de Pharaonis ficu referunt, quam ajunt Tertianam Febrem excitandi vim habere. Non absimilis priori est alia Quæstio, non adeò tamen audax, quam habet Celsus [b], num Febrem lentam augere liceat, ut curationi opportunior fiat: Verùm quàm suspecta, & quàm infausi ominis sint beneficia, & dona, quæ ab hoste proveniunt, satis compertum est, ut vetus proverbium admonet, *Hostium munera, non munera*. O quam egregiè in hanc rem Seneca(c). *Gravissima infamia est, Medici opus querere, multos quos auxerant morbos, & incitaverant, ut major gloria sanarent, non potuerunt discutere, aut cum magna miserorum vexatione vicerunt.*

At

(a) Vide Ricard. Morto. Exer. de Febril.

(c) Lib. 3. c. 9.

(c) Lib. 6. de Benef. cap. 36.



At quorsum hæc, inquiet aliquis, quæ disputari solent in Scholis ad Medicum Theoricum potius, quàm Practicum spectant! at responam ego non minùs suis difficultatibus implicitam esse Februm praxim, quàm theoriam. Quoties enim evenit, ut cum plures Medici ad Ægrum ex Febre decumbentem conveniunt, de Febris natura, & illius curativa methodo non satis inter illos conveniant, adeò ut Consultatio, quam rem sacram appellavit Plato, non rarò turpitèr prophanetur! Hinc nonnullos totos operosos, & pæonium in morem accinctos observare est ad ravim usque clamitantes, febrilem Ignem illicò extinguendum, ne tota domus conflagret, hostem suis in castris quàm properè opprimendum, antequam erumpat, & fortior invalescat, reclamantes alios, lentè festinandum, humorum coctioni incumbendum, ne prætervertatur Crisis, expectandum, ut Febris se ipsam conficiat, *Medicos plus interdum quiete, quam movendo proficere* (a). Sic evenit, ut Ars Medica non secus ac Militaris suos habeat Fabios, suos Marcellos. (b)

Haud aliter circa remediorum usum quosdam videas, qui non nisi sanguinis missione jugulandam Febrem velint, alios humani

G 2

fan-

(b) In Theage. [b] Livius l. 22.



sanguinis abstemios, quos Hæmophobos vocant, quia humani corporis thesaurum in cassum profundi asserant, cum *obstructio, & putredo*, quæ sunt Februm potissima causa, *sanguinis missione non tollantur* (a); Non paucos observare est, qui toti sunt in purgandis corporibus, ac piaculum crederent, nisi cuique Febris suum præmitteretur leniens, & in fine, si soluta jam Febre, ad tollendum recidivè metum, solennis, & eradicativa, ut vocant, institueretur purgatio; ex adverso alios, qui ab hujusmodi purgationibus, circa finem, seu extincta jam Febre, cane pejus, & angue cavent, naturæ ductum, & ingenium sequentes, quæ perrarò, aut ferè nunquam, alui solutione Febres finire soleat; nonnullos aquam largè potandam præscribere, cum ex Hippocratis Oraculo *Aqua non præstet bonum alimentum igni* [b] alios verò quos Psichrophobos vocant, frigidaè usum pertimescere, ne calor innatus stranguletur, & causa morbifica deterior fiat; quidam porrò toti sunt in Præscribendis Alexipharmacis, quæ Cordialia appellant ad malignitatem, ut ajunt, præcavendam, si subsit, & non appareat, perdo.

(a) Galen. 11. Meth. c. 14:

[b] de Morbis n. 25.



domandam, quidam verò ( cordatiores for-  
 san ) in cordialium usu suspenso pede proce-  
 dunt, ac temperant, ne addere oleum cami-  
 no, & equum currentem incitare, ut dici so-  
 let, videantur.

Quid verè possint tot Alexipharmaca, tum  
 galenica, tum chymica, quorum usus in Fe-  
 bribus suspectæ indolis tam frequens, & com-  
 munis est, licet non tam obvia sensibus sit  
 utilitas, non vacat, neque hujus loci est dis-  
 quirere, solum de illis Virgilianum illud pro-  
 ferre libeat

- - - - possunt, quia posse videntur. (a)

Hæc tamen nec Artis, neque Artificum cul-  
 pa eveniunt, sed propter Febris sævitiem,  
 Monstri multiformis, quod ratiocinia nostra  
 persæpè eludit. Absit autem, quod Veterum  
 dogmata despiciam, ac illorum mēthodum,  
 ut qui sciam ex Hippocratis effato, *Multa de  
 eodem rectè præcipi posse sive eadem potentia, sive  
 non* (b) ac multò minùs, quòd Neotericos scri-  
 ptores improbem, ac fugillem, quòd ejuratis  
 Antiquorum opinionibus adhuc inter se non  
 consentiant. Hinc enim licet inferre non am-  
 pliùs cæca persuasione nos duci, & pecudum

G 3

ritu

[ a ] Lib. 5. Æneid.

[ b ] 7. in 6. Epidem.



ritu præcedentium vestigiis hæerere, sed circa veritatis inquisitionem certatim adlaborari. Neque enim pro nihilo habendum, quòd auctoritatis, à qua tantillum aberrare religio erat, soluto fascino, quisque sua tentamina, & excogitata, quibus Monstrum istud è latebris suis in apricum produci, & perdomari posse credidit, in medium proferat.

Nunquam igitur satis commendanda est nostra hac ætate in re medica philosophandi, & sentiendi.

*Libertas, quæ sera tamen respexit inertes;*  
spem enim facit, ut id, ad quod tot Scrutatorum industria collimat, omnium oculis tandem patefcat.

Tam exacto rei obstrusissimæ scrutamini non parùm velificari visa est Fortuna, advecto in Europam inter peregrinas merces Peruviano Cortice, antipyreticorum omnium, quotquot excogitavit Antiquitas, & Chymicorum solertia conflavit, facile Principe: E' singulari hujus remedii præstantia, quod in periodicas Febres vim suam potissimum exerat, id beneficii fuimus affecuti, ut verum discrimen inter Febres intermittentes, ac eas, quæ verè sunt continuæ, nec non inter illarum focum teneamus, neque ampliùs unica  
me-



methodo Febres omnes curentur tam Gastricæ (a), quàm venosæ, continuato scilicet refrigerantium, & humectantium usu; tot repetitis Venæ sectionibus, tot iteratis purgationibus, quæ humani corporis machinam potius infirmant, quàm confirment, sed illæ tantum Febres, quæ de Intermittentium familia sunt, Pulveris exigui haustu in vino soluti, aut compressæ quiescant, aut etiam penitus aboleantur.

Profectò postquam hujus remedii usus innouit, & præmissis justis purgationibus, non semel tantum, ut olim, sed plures ad dies exhiberi cæptus, donec febrile miasma fuerit penitus exantlatum, talem circa Februm doctrinam, ac illam curandi methodum factam fuisse fateri oportet, qualem in re militari post inventum pulverem pyrium omnes norunt. Quemadmodum enim abjectis catapultis, & arietibus, solo tormentario pulvere terræ cuniculis incluso, & accenso alta propugnacula temporis momento solo æquantur, & arces oblessæ ad deditionem coguntur, sic valere jussis tot pharmaceuticis præfidiis, modico Quinquinæ pulvere exhibito contumaciores Febres vinctas dant manus.

G 4

In

(a) Vide Gulielm. Ballonium in suis Ephemerid.



In hujus divini remedii laudes non effundar, cum se ipsum satis commendet; hario-  
lari tamen licet ex admiranda hujus Corti-  
cis Virtute, Febris naturam medullitus ali-  
quando erutam iri, passim enim hujus cele-  
berrimi Febrifugi chimica analysis institui-  
tur, & à Botanicis sedulò allaboratur ad  
Plantam aliquam indigenam in Regno ve-  
getabili ejusdem Virtutis reperiendam; ne  
tam longè petantur remedia; quòd si un-  
quam favore Numinum, & commiseratio-  
ne, qua solent, in res humanas, aliud ma-  
joris energix Febrifugum reperire daretur,  
quod eadem securitate, qua Peruvianus Cor-  
tex periodicas sanat, reliquas Febres, quas  
synochas, & continentes vocant, sanandi  
facultate polleret, jam illius, quod Hippocra-  
tes in votis habuit, essemus compotes, ni-  
mirùm quòd *invenire aliquid eorum, quæ non-  
dum inventa sunt, & quod notum, quàm  
occultum esse præstat, sit scientiæ Opus, & Vo-  
tum.* (a)]

Licet autem in Peruviano febrifugo, non  
arte quidem, aut industria reperto, sed no-  
bis divinitus concessio, nondum teneamus  
quid verè sit Febris, nec satis constet, quid  
in



in nostris corporibus præstet hoc remedium, cur interdum intervallatas Febres figat, & sopiat, interdum ex toto exterminet, magnum tamen mortalitati nostræ solamen foret, si consimile præsidium haberemus, quo contra Febres verè continuas, quæ nobis exitium interminantur, cæco licet modo, & Andabatarum more pugnaremus, quando idem penè de omnibus remediis, quotquot habet Ars Medica proferre liceat, posse nos quidem pro lubitu fingere, quid agant, quoque modò operentur, ubi nostri corporis penetralia subjerint, modum autem, & ingenium, quo morbum, & causas morificas oppugnent, verè, ac scienter nequaquam posse pertingere.

In id operis itaque hoc Anno incumbemus, ut quid Veteres, quid Recentiores, in hac re literis prodiderint, qualis scilicet hactenùs fuerit Februm Theoria, qualis curandi modus, compendiosè exponamus, ex ut enim dissentientium inter se opinionum discussione, id frugis colligere licebit, quòd magna cautione procedere oporteat, ad conrediendum cum hoste vaferriimo, cujus ingenium post tot Medicinæ Procerum conatus nondum est satis perspectum.

OR A.







# ORATIO

## QUINTA

Medicam Artem Navigatoriæ  
similem esse.

*Die IV. Novemb. Anno MDCCIII.*



Am quartum, quòd felix, fau-  
stumque sit, A. N. Exedram  
hanc spectatissimam, ex qua  
veluti delphica Tripode tot  
Doctissimorum Virorum, quos  
inter Celeberrimus olìm San-  
torius, manarunt Oracula, Divina favente  
clementia gravem morbum eluctatus con-  
scendo, utinam Sexennium integrum, quo  
fidem meam Amplissimo Senatui Veneto op-  
pigneravi, absolvam, ac tandèm Professo-  
rio muneri nuncium remittam. Perarduum fa-  
nè opus, ac nimis longam navigationem, si ad  
Ætatem annis gravem, si ad vires studio-  
rum, qualiacumque fuerint, laboribus fra-  
ctas



Etas, si ad Temporum iniquitatem, quæ inter circumstrepentium armorum, quibus penè obsidemur, fragorem, literarum Cultores Studiis liberè vacare non sinunt, animum adverto, suscepisse me fateor; absit tamen quòd animum despondeam, imò potiùs totis viribus connitar, ac remis, velisque, ut dici solet, contendam, ut fortiter Portum occupem. Neque ineptè prorsùs, ut reor, Medicam hanc meam Excursionem per Triennium integrum habitam, dimidio spatio jam emenso, Navigationem dixi; Artis enim Medicæ, si cum Theoricen, tum Practicen spectemus, ea est difficultas, & amplitudo, ut illam peragrarè velle, idem prorsùs sit, ac incedere per amplum Mare, infidum, naufragiis frequens, ac tùm magis suspectum, cum majorem, Venetis silentibus, præfert malaciam. Norunt id satis, qui in Medicina faciendâ ætatem trivere, nam enim tam expertus est Artifex, qui de certo eventu sibi pollicieri possit, ac interdum, non sine alienæ vitæ, & propriæ quoque, existimationis scilicet, & honoris, qui vera hominis vita est, gravi periculo, foedissima vel in ipso portu passus non fuerit naufragia.

Ità est profecto A. N. adeò convenit inter  
Na-



Navigatorem, & Medicum, ut si illarum ortum, progressum, ac tenorem, quoad Opus suum procedunt, expendamus, Ars una alterius sit veluti Exemplar, & Specimen, ac ambæ ab eadem Parente ad Vitæ commoda videantur prognatæ. Labet itaque Medicam Facultatem Nauticæ persimilem ostendere, adeo ut prudens, & solers Medicus iisdem legibus, & eodem penè regimine, ac peritus Navigator, administrare debeat eam, quam suscepit provinciam. Id autem neque incuriosum Argumentum fore existimo, neque prorsus infrugiferum, studiosæ præsertim Juventuti, in hunc saltem finem, ut in re sacra tractanda summa utatur prudentia, & circumspeditione, ac singula accidentia, ut ut parva, attentè observet, cum non secus, ac magnarum in Mari Tempestatum, magnorum quoque Morborum parva, & obscura soleant esse signa, atque principia.

Scitè quidem non minus quàm eleganter Magnus Hippocrates Jatricæ facultatis Pater, ac Princeps, & inter Medicos non secus, ac alter Tiphys inter Argonautas, in libro de veteri Medicina literis prodidit (a); Medicorum plerosque idem in se admittere, quod

(a) n. 17.



quod imperiti Navigantes : *Etenim*, inquit ille , qui in tranquillitate Navim gubernantes delinquunt, manifesti non fiunt , at si Ventus Magnus , ac Tempestas ipsos deprehenderit, tunc conspicui fiunt palàm omnibus hominibus , quòd ignorantie , & erroris sui culpa Navim perdiderint . Divini Præceptoris auctoritate igitur non atopos prorsùs Medicam Artem Navigatoriæ cognatam esse pronunciare liceat ; ac revera , si ritè rem pensitemus, iisdem penè facultatibus , & disciplinis Medicum , ac peritum Nautam , instructum esse oportere, facile deprehendemus . Navis Gubernatorem Philosophiæ operam dedisse , & decet , & necessum est ; de ea tamen Philosophia intelligi nolim , quæ circa futiles Quæstiones , & Logomachias Ingenia potius deterit,quàm exacuit , sed de vera , ac solida Philosophia, quàm experimentalem vocant , & quæ in Celebrioribus Lyceis doceri cœpta , utpotè quæ ad Veritatem explorandam , & assequendam facem præferat , & manu ducat ; haud secùs in Mathematicis facultatibus veluti Geometria , Geographia , Astronomia , Hydrostatica , ac præsertim in Mechanicis eundem instructissimum esse debere nemo non novit .



Hujusmodi subsidiis armatum Christophorum Columbum ad Oceani claustra referenda processisse, haud dubia conjectura fas est credere, sicque veros, non fictos esse Antipodas [ quamvis apud Regales Aulas, à quibus ad tam grande opus auxilia reposcebat, lepidè delirans crederetur ] re ipsa demonstrasse, relictæque post tergum ultima Thule. Tragici Poetæ vaticinia implese. Quomodo enim fidam navigationem sibi spondeat Naclerus ille, qui in Physicis, & Mathematicis hospes omninò sit, qui quale sit Cosmicum Systema ignoret, qui terrarum, & variarum Regionum situs non calleat, qui Syderum ortus, & occasus heliacos, unde magnæ temporum mutationes pendent, non norit, qui ubi Syrtes, & Scopuli naufragii infames, & alia Oceani monstra cubent, ac latent, indigitare nesciat?

Sic pariter Medicum instructum esse oportere, nemo, cui pectus sapiat, dissimulabit. Polymathiam omitto variam, scilicet literaturam, magnum alioquin Medicæ Artis Ornamentum: hanc enim Medico non esse necessariam ultrò fateor, haud nescius quippe, Mutæ Artis ( quo titulo olim Medicina penes Poetarum Principem audiit ] Professore,



cujus Opera conducta est non sermo; etiam si facundia careat, eum tamen, si remedia usu discreta rectè norit, ut ait Celsus, *In Proemio tantò majorem esse futurum Medicum, quàm si sine usu linguam exercuerit*; Philosophiam tamen Medico necessariam esse, certo certius est. Qua ratione etenim Medicus Naturæ rectè operantis vulgò Administer, & Rector dici queat, nisi secretiora Naturæ Adyta, Philosophia duce, perlustrarit? Philosophiam nescio quid Divini Medico affigere scripsit olim Medicorum Maximus Hippocrates. *Ἰητρος γὰρ φιλόσοφος ἰσόθεος: ἔπολλή γὰρ ἀλαφροῦ ὅτι τὸν ἕτερον*; hoc est *Medicus Philosophus est Deo aequalis; neque enim magna inter ipsos est differentia*.

Non minus ad verum Medicum non tam ad Seculi genium, quàm ad Rationis Criterium efformandum; paulò ante memoratas Matheleos facultates; tantum non necessarias esse fas sit asserere. Si verò quis repugnet, ad Hippocratem provoco, Judicem æquissimum, & ex illo celebri Macrobiani elogio, *fallere, & falli nescium*. Hic ergo de Geometria sic in Epistola ad Thessalum filium. *Ad Geometriam cognoscendam, Fili mi,*  
*mul-*



*multum studii adhibeto ; Geometriæ enim cognitio, quæ uniformis est, & omnia cum demonstratione transigit, utilis est, & ad Ossium situs, & exarticulationes, & membrorum componendorum ordinem. (a) De Astronomia pariter, illam ad rem Medicam non parùm conferre protulit; qui termininis Mathematicis aliquando usus est, ut Mochlisi, & Momento, (b) quo Vocabulo nihil in ore Medicorum usitatiùs est, ut spirituum impetum facientium energiam, & fibrarum vim Motricem, & aliorum Corporum resistantiam exponant. Non vulgare itaque, & præsidium, & decus sibi adjiciet, qui Mathematicorum Monumenta identidem evolvat, & ea, quæ ad rem medicam magis faciunt, ex illis decerpant.*

Verùm aliquis regeret, non fieri Medicum ex libris, neque ex precariis Mathematicorum Postulatis, sed usu, & experientia, & continua Ægrotantium inspectione. Profectò ex simplici librorum lectione, cujuscumque sint facultatis, Medicæ quoque, non constari verum Medicum, & dictum illud, *Nautæ ex libro*, iis quoque congruere, qui ex Scriptorum Monumentis Medicinam haulerint, &

Tom. IV.

H

ipse

( a ) De Aer. Aqu. & soc. n. 4.

( b ) De Nat. Pueri n. 42.



ipse quoque testor, & deprecō. Cornelium Celsum (quem latinum Hippocratem vocant) de re medica egregiè scripsisse, quamvis nunquam Medicinam exercuerit (quidquid Ru-beus illius interpret aliter senserit) cum Romana gravitas Ægris manum apponere non dignaretur, satis constat. Verò tamen veriùs est, eum Medicum, qui usui, & experientiæ prædictas facultates consociarit, tantùm inter cæteros caput efferre, quantum inter Pumilio-nes Gigas, ac inter Viburnæ Cupressi.

*Felix qui potuit Morborum agnoscere cau-  
sas,*

*Atque omnes motus - - -*

Virgilianum illud hic per Parodiam, hoc est paucis mutatis, usurpare liceat. At quis feliciùs id præstet, quàm ille Medicus, cui tamquam fidæ comites adstent Philosophia, & Mathematica? Atque ut exemplo in Mathematicis res planior fiat; Quis, precor, modum, quo fiat visio, quomodo depravetur, veriùs exponat, quàm qui Opticæ didicerit? Quis admirandum Naturæ artificium, quo fit auditio promptiùs expediet, quàm qui Musurgiam calleat? Quis leges mechanicas, quibus Corporis nostri latices tam facili obsequio in orbem feruntur, ac per diadosim par-



partibus dispensantur, nec non quomodo illorum fluxus, ac refluxus quandoque perturbetur apertius, ad sensum usque demonstret, quàm qui ad Hydrostaticæ Fontes largè potarit? Qui ergo sic institutus fuerit, quantum humanis viribus in Arte conjecturali datum *secura naviget aura*, ac Morborum, & Symptomatum procellis obsistat.

Neque verò congruentius acutum, & exitialem Morbum adumbrari posse crediderim, quàm sub maritimæ Tempestatis specimine. Fingite quæso, si lubet animis vestris, Auditores Ornatissimi, Navim in Pelagi medio Ventis jactatam, & periclitantem, ac Nautam anxium, & sollicitum, ut illam ab Undarum ulnis eripiat, & sartam tectam servet. Peritus itaque Navis Gubernator, non solum ubi ab aliqua improvisa Tempestate deprehensus fuerit, sed etiam ubi illam impendentem præviderit,

*Colligere arma jubet, validisque incumbere remis, (a)*

ut olim Palinurus celebris Nauta apud Virgilium; sic quam properè Vela submittit, seu in Ventum obliquat, ne totum illius impetum sustineat, Anchoras jacet, Clavum ma-

H 2 nu



nu tenet, Oculos ad Versoriam intentos habet, timidorum pavorem compescit, & ad colluctandum cum Ventis, & Maris rabie se totum accingit; sique Pelagi, & Ventorum furorem crebescere observet, ac de proximo naufragio timeat, Navim exonerari jubet, ac in Mare projici non solum viliores, & graviores sarcinas, sed pretiosiores quoque merces, extremis è Terræ finibus tanto labore, ac studio conquistis, veluti si Neptuno æquo-reo Deo hisce Donariis litando, illius iram placari posse existimet.

Fingamus altera ex parte Medicum totum operosum, stantem circa Ægrum exitiali Morbo conflictatum; Nonne idem prorsus agit, ac Nauta? Assidentes primò ad sua munia exequenda hortatur, ad Medicinæ Armamentaria sollicitus accurrit, pulsum tanquam gubernaculum manu prehendit, obtutum ad Ægri faciem defixum servat, ut omnes cubantis notas perspiciat, spem vultu simulat, foeminarum clamorem, & ejulatus coercet; si verò morbosam Tempestatem magis sævire observet, Ægrotantis Corpus ab humorum saburra, tum κατὰ, tum ἀνω, catharticis, & emeticis exonerat, ad Sacram Phlebotomiam Anchoram confugiens, Sanguinem, relictis

Ve.



Venis, ac Arteriis quoque, si opus fuerit, abundè profundit. Quid autem Sanguine, Nectare vivifico, & Naturæ genio pretiosius, quo ad quotidiana vitæ dispendia reparanda, & biolychnium sustentandum, nihil æquè necessarium?

Modò sperat, modò desperat Nauta, anceps, ac dubius, quò res evasura sit; hinc unà cum iis, qui in eadem Navi sunt, Vota concipit, & quotquot in Cœlo sunt Numina, illorum opem implorat.

*Tanta adeò cum res trepidæ reverentia Divum*

*Nascitur, & raræ fumant felicibus Aræ.* (a) ut olim Silius Italicus Romanas Matronas describens supplicantes ad Aras Deorum, ac diversa Donaria afferentes, dum Hannibal Urbi immineret, ac illi extremum minaretur excidium, uti etiam num fieri aliquandò videmus, aliqua magna Calamitate impendente, veluti Terræ motibus, Pestilentiis, aliisque terrificis casibus, *Etenim alii potius Homines, quàm alii mores*, agebat Politicorum Magister.

Sic pariter Medicus Clinicus quoque, licet spem vultu simulans, Superos, tacitè tamen,



votis fatigat, ac præsertim si splendidam aliquam personam curandam habeat, aut pravæ aliquot, & contagiosæ Constitutiones per vulgus grassentur, in quibus illud *Θείον* Hippocratis observetur; *Medicina autem circa Deos reverenter se habet, ac iis supplicare bonum, & decorum est*; (a) verba sunt ejusdem Hippocratis, ac ut sacri testantur Codices, Deum pro Infirmis deprecari, ut sanitatem dirigat, Medici officium est.

Nihil porro est, in quo Medicina Navigatoriæ similem se magis præstet, quam in rerum futurarum præfensione, & signis expiscandis, quibus Morbi ingenium, ac indolem exploret. Navis Gubernator nihil magis cavet, quam ne Maris tranquillitas illi imponat, & Venti filentes, illum ex improvviso excitent, & Clafsicum canant, cuncta Signa propterea, ut ut parva, quæ sinistri aliquid portendant, attentè observat, veluti parvam nubeculam longè assurgentem, lenem auram molliter undas crispantem, piscium saltus, ac lusus insolitos, & similia, quæ recensuit Mantuanus Vates, experientia scilicet edoctus, magnarum in Mari Tempestatum parva folere esse signa prænuncia. Huiusmodi mehercle A.N.

Mun-



Mundi hujus, quem nos incolimus, solet esse conditio, ut magnarum Calamitarum pusilla, & obscura sint signa, atque vestigia. Pestilentem Æstatem Aranearum frequentia, & Ficus folia Cornicis pedem referentia, teste Plutarcho, prænunciant [a]; Annonæ caritatem parvæ maculæ rubræ, quibus fruges dum inaturescunt, sint respersæ, ex Agricolæ observatione, portendunt; Terræ motum Aqua in puteis repentinè turbidior facta, nec sine odoris tædio, præmonstrat. Hoc idem quoque in re medica non rarò evenit, & Medicis parum cautis illudit, nisi ad minuta, & pusilla Morborum, & Symptomatum signa, & accidentia observanda incumbant.

- - - Sape exiguus Mus

*Augurium tibi triste dabit, Tellure sub ima,  
Quem non ullus amor tenuit, sed in aera  
apertum*

*Erupit scrobibus, vitæque, atque immemor  
usus.*

itâ olîm Fracastorius, insignis Poeta, & Medicus, in libro de Contagione (b); Sic exigua, & minuta puncta in cute Febricitantis appa-

H 4

ren-

( a ) De Orac. Defect.

( b ) Lib. 1. c. ult.



rentia , quæ interdum sub Pulicum morfus specie illudunt , malignam Febrem , quàm Puncticularem vocant , Viscera intus depaſcentem , indigitant ; levis Aura frigidior è pedis extremo ſurſum repens , Epilepſiam , Microcoſmi terræmotum , præmonſtrat . Stupor quidam mentis inſolitus , unà cum Artuum levi torpore , Apoplecticum fulmen citò caſurum denunciat . *Nihil temerè , nihil negligere* , [a] aiebat Hippocrates , hoc eſt , uti egregiè Valleſius in Commento , nihil caſu fit , ſed ſuam habet cauſam , licet nobis ignotam , nihil propterea leviter contemnendum . In ea Medicinæ parte , quàm Semioticen dicunt ? qua nihil forſan magis neglectum , & minùs excultum] Hippocratem accuratiſſimum Obſervatorem fuiſſe ex ejuſdem , quæ extant , Monumentis , ſatis liquet , adeò ut ſigna quædam alicui forſan ridenda , & quæ tanto Medico credi poſſent parùm decora , obſervaret , veluti Aurium Sordes , num dulces eſſent , an amaræ , [quæſi Σκατοφαγός eſſet] & Ventris flatus , num ſine , an cum crepitu , ac ſonitu prodirent (b) ; ſi enim Aurium ceroma dulce fit , illud non Κακόν , ſed Θαναſμόν , [c]  
hoc

(a) 2. in 6. Epid.

(b) 5. in 6. Epidem.

(c) L. Prænot. num. 15.



hoc est, non malum esse, sed lethale pronuntiavit, & Ventris flatus sine crepitu prodire optimum esse, literis prodidit.

Quemadmodum igitur periti, & circumspiciti Nautæ nulla re magis commendanda est solertia, quàm in observandis signis, quæ ingruentem Tempestatem præmonstrent, ut opportunè in aliquam fidam stationem Navim recipiat, vel ad concertandum cum Ventis, & Maris insania se præmuniat: ità prudentis, & experti Medici est, Signa quæcumque ut ut exilia, tùm prophœnomena, tùm epiphœnomena diligenter attendere, ne postmodum veluti ex insidiis erumpente Morbo unà cum magno Symptomatum turbine, ipse postea; tanquàm è Vetro excussus quò se vertat, nesciat, neque quid priùs, quid posteriùs agat. Quàm turpe, ac Arte Medica indignum spectaculum est, Medicum intueri nil sinistri de Ægro cogitantem, ac ut dici solet, super utramque aurem dormientem, à subdolo morbo deprehensum! Nil inexpertum, nil intentatum, sed tumultuariè, de remediorum materia relinquit; Cœcum terræ miscet, Botanica, Metallica, Aleatica, aliaque è Terra, Marique petita, ac per se inter se pugnancia, uti ajebat Erasistratus.



fistratus , in unum confundit , Naturam eodem tempore, & frænâ , & stimulis in diversa trahens , ac discerpens , donec Mulierculis ipsis palam faciat , quòd oscitantiae suae culpa Ægrum miserè perdiderit.

Prudentes itaque , & circumspectos Artifices suos exposcunt Ars Medica , & Navigatoria , utrobique enim agitur de humani corporis , & de existimationis , & honoris jaçtura . Prudentia verò partim Naturæ donum est , partim usu , & experientia comparatur hinc est , quòd Senilis ætatis magis , quàm Juvenilis , Prudentia sit propria . Quemadmodum igitur verum , ac legitimum Nautam Virum gravem ad provectiorem ætatem vergentem , *Qui mores hominum multorum , viderit Urbes* , ut de Ulisse cecinit Homerus , esse decet , talem quoque fas est eum esse , qui Medicinam ritè administrare velit.

Demiror autem non rarò , nec parùm , quomodo , qui longam Navigationem suscepturus est , antequam Navim subeat , diligenter observet , qualis sit Nautæ facies , & externus habitus , neque illi tam facilè se committat , si illum viderit Juvenem comptum , & elegantem , tam facilè verò non pauci dum ægrotant Juveni Medico , qui recens ab Academia



venerit, se curandos dedant. Permulti sint  
 Juvenes docti, [ quod non abnuo ] qui Medi-  
 cinæ Adyta perlustrarint, Experientiæ ta-  
 men, quæ Temporis filia est, eos expertes  
 esse necessum est. Sic Veteres Æsculapium  
 Medicinæ Præsidem, ingenti barba decora-  
 um fingeant, quamvis Apollo illius Geni-  
 tor intonsus, imberbis, & elegantis formæ  
 fingeretur.

Haud equidem ibo inficias, quin Fortuna,  
 quæ Juvenili audaciæ interdum magis favet,  
 quàm Senili prudentiæ, in re Medica, non  
 minus, ac in Navigatoria multum polleat;  
 in re tamen ancipiti, ac dubia, Rationi atque  
 Experientiæ, tanquam fidis comitibus, hæ-  
 rere, majorem semper apud Sapientes pro-  
 meruit laudem, quàm cæca Temeritas.

Non sum nescius curanti Medico vix inter-  
 lum permitti, ut prudenter agat, & ea, quæ  
 Artis sunt ritè, & opportunè exequatur,  
 cum quotidie ferè interpellari soleat, ac pe-  
 nè compelli, ut moras omnes præscindat, &  
 Egrum quàm properè in Vado reponat, cui  
 tamen quotidianæ Cautioni, uti nimis peri-  
 culosæ, Medicum, Uliſſis exemplo, aures  
 obſerare decet, & obſurdeſcere. Cum olim (a)

na-



navigaret Seneca, ut ipsemet in quadam Epistola ad Lucilium suum refert, & gravem jam stationem sibi subeundam prænoscere, Nautis Gubernatorem rogare cœpit, ut se in aliquo littore exponeret; cui prudenter non minus, quàm generosè respondit Nauta *Se nihil in Tempestate aque timere, quàm Terram*. Haud absimili dicto Medicus quoque cum urgetur, ut Anchoras tollat, ac remis ventisque Portum rectà contendat, animosè ac uti periti Artificis est, respondeat; Nihil æquè timendum, quàm sæviente, & spumante Morbo, Salutis Portum occupare velle.

Cautione igitur opus est in Medicina administranda, nec tam confidenter, ac certa spe Victoriæ congrediendum cum Morbis, id enim Ignorantiæ palmarium, & apodicticum argumentum est; Inscitia enim ex vulgari dicto Confidentiam parit.

*O nimum Cælo, & pelago confise sereno*, (a) sic olim Virgilius de Palinuro, qui in Mari demersus occubuit. Cur non idem quoque interdum de iis dicendum, qui Morbo satis placidè, & laneo pede procedenti, nullasque turbas excitanti, nimis fidentes, famæ, ac fortunæ suæ infelix patiuntur naufragium?

Ni-



Nimius essem si singula, quæ in hisce binis Facultatibus ad invicem sibi respondent. recensere velim; id tamen observatione dignum [ut etiam aliquid ex iis, quæ ad illarum felicitatem, & gloriam spectant, pertingam] id inquam animadversone dignum, quòd uno, vel altero Seculo, æquo pede, ac pari prosperitate adeò processerint, ut summum penè perfectionis culmen attigerint. Si Navigatoria recens cum Veteri conferatur, & nostrorum temporum Medicina cum antiquiori, utraque alio vultu, quàm quòd olim, apparebit, *Gloriosissimæ Venetæ Reipublicæ* Navale adeamus Armamentarium, ac vetera spectentur Navigia, quæ inibi pro Venerandæ Antiquitatis monumento asservantur: quis, precor, ea cum amplis, & rostratis Navibus, non minùs robustæ, quàm elegantis formæ, conferre velit, & cum auratis Cymbis, quæ per Urbem Adriæ Reginam continuò discurrunt, & remorum alis tanta pernicitate prætervo-  
lant? Post repertum Magnetis usum longè diversa est Maria fulcandi ratio; vel sub intempesta, & caliginosa nocte, oculis non ad Cynosuram, sed ad Verforiam, & Tabulam Geographicam defixis, neque subdivo, sed in suo Musæolo conclusus Navis Gubernator satis



novit, ubinam locorum sit, in quamnam partem feratur, & quantum à designato loco distet; sic prægressis nuper Seculis Columbus Vesputius, Magallienus Solis vestigia secuti, totum Orbem peragrarunt. Magnum olim ac Poetarum dignum Argumentum visum est Argonautas Colchos usque navigasse, ut Navis, quæ Heroes illos gestavit in sinu, digna haberi potuerit, quæ in Coelum translata inter sydereas imagines radiaret. At quid Expeditio illa, cujus præmium erat Phrixæ Arietis aureum Vellus, cum iis, quæ quædam tannis ab Anglia, Hollandia, Gallia, Lusitania, Hispania, ad Indos fiunt, quæ Expeditiones aureos Montes, & alterius Mundi Imperium pollicentur? Sic toto Orbe pererrato nullus penè novarum Regionum [ in Boreali saltem plaga ] scrutamini locus relictus videtur, nisi exiguum quidpiam sub Polo humanæ industriæ impervium, ubi Mare per hyemem solidatur in glaciem, quam olim frangere pertentarunt Hollandi, ut compendiosa via in Sinarum Regnum penetrarent, sed frustranter diligentia, cum glaciali Remota tota Classe devincta, inibi inter Cimmeria plurium mensium tenebras, sine Solis adspectu hyemare coacti fuerint.

Quid



Quid autem exacto nuper Seculo non per-  
 tentavit, & non assequuta est in Microcosmo  
 Ars Medica? Suos quoque Columbos habuit  
 Ars nostra. Realdum Columbum Cremonen-  
 sem hìc innuo, qui primus forsan perennem  
 sanguinis in orbem motum mente concepit, &  
 nobis adumbravit, ut taceam Cæsalpinum,  
 & postremò Magnum Harvejum, qui postea  
 Mysterium istud soli Naturæ à Mundi primor-  
 diis cognitum ad sensum usque aperuit, & rem  
 oram ex asse perfecit. Hìc non est, quòd tot  
 alia celeberrima Inventa memorem, uti Abdo-  
 minis, & Thoracis Vasa lactifera, unde ve-  
 tus Viscerum naturalium usus antea innotuit,  
 Lympham, & Vasa Lymphatica, & omnium  
 fluidorum motum adeò, ut sicuti in magno  
 Mundo cuncta Maria, Sinus, Lacus, Flumina,  
 Fontes, inter se, vel clam, vel apertè, mu-  
 tua servant commercia, ita in parvo Fluida  
 quæque ad invicem communicent, & concor-  
 dem agant choream. Quid, si Artis Medicæ  
 nostrorum temporum adeamus armamentaria,  
 ac illa cum iis, quæ habebant Veteres, com-  
 ponamus? Quot parasangis, & magnificen-  
 tia, & præstantia, & usu illa superexcellunt,  
 id satis abundè testantur, amplissima Anato-  
 mes Theatra, & varius Instrumentorum ad  
 Cor-



Corporum dissectionem Apparatus, necnon Hermeticorum Officinæ ad elegantissima, & efficacissima remedia concinnanda: Sic Parentes nostri per amplam quidem novis reliquerunt hæreditatem, sed illam amplificandam omnem penè ademerunt locum. Hinc factum quòd nostra hac Ætate novarum rerum alicujus ponderis in humano corpore penè desperata cognitione, ad omne Insectorum genus insectandum, quodam veluti Venationis studio, Anatomicorum industria diverterit, Quid mirum igitur, si alia nunc sit Medicinæ facies, quàm quæ olim, ac post tot gloriosa Inventa, non secùs ac post repertas Cereales fruges, ingenui Professores in Scholis saniori doctrina pascant Ingenia, & peritiores, Clinici diversa methodo Morborum curationes instituant?

Verùm jam tempus, ut

*Vela trabam, ac terris festinem advertere  
proram;*

Tandem haud dispari sorte Navigatoria, & Ars Medica ab iis, quibus operam suam, licet sedulò in penderit, non rarò aut parùm vel nihil gratiæ referunt. Sic qui in horrida Maris tempestate Nautæ solertia ab Orcis faucibus fuerint erepti, ubi à longè Terram pa-

ren-



rentem salutarint, ac littus attigerint, vix Nautæ faciem agnoscunt. Haud secus qui ex perniciali morbo periclitati fuerint, ubi rem in Vado esse cognoverint, modico Sostro, interdum etiam nullo, Medicum dimittunt, nisi etiam ab illo Soteria reposcant, five illum irrisui, & despiciatui habeant. Si verò atrox tempestas malignorum Symptomatum gravisda Ægrum obruerit, quot, & quanta in Medicum effunduntur conviciorum plaustra? Sic in prospero Eventu [ut Plautino dicto utar] *levior pluma est gratia*, in sinistro, *plumbeæ sunt iræ*: Hujusmodi vitium satis vetus exprobrabat olim Seneca[a], gravissimus Morum Censor, cum simplici Mercedula, Medico debitum non persolvi crederet, si diligentem præstiterit operam. *Quædam pluris sunt, ajebat ille, quàm emuntur. Emitur à Medico res inæstimabilis, Vita, & bona Valetudo*. At quid agendum? Num rejiciendum levidense illud, quod offertur? Nequaquàm; id enim esset avari hominis, & lucrimulgi Medici speciem subire? præterea extrema dementia esset, *post omnia perdere Naulum*. Quoniam igitur inter Navigatoriam Artem, & Medicam tanta intercedit

Tom. IV.

I

at-



affinitas, ac similitudo, salutaria Documenta ex  
Arte cognata prudens mutuetur Medicus, ut  
Ægrotantium Saluti possit prosperè velifi-  
cari.





# ORATIO SEXTA

Multum Conferre Practico Medico,  
Nosse , qualis sit de se com-  
munis hominum  
Opinio.

*Die XII. Novemb. Anno MDCCIV.*



Uemadmodum in Oratoria Fa-  
cultate olim dum vigeret Elo-  
quentiæ studium , quæsitum  
est , quis fuerit , & qualis esse  
debeat verus , & perfectus  
Orator , neque vel ipso Tul-  
lio iudice , decerni potuerit , quisnam hic fuerit ,  
ut pro exemplari esse possit , quibusve dotibus  
Oratorem insignitum esse oporteat . Ita pror-  
sus in re medica idem evenisse crediderim ,  
non minùs scilicet arduum est , Ægrum per-  
niciæ morbo conflictatum servare , ac reum  
in capitali iudicio ritè , & ex arte patrocina-



nari.(a) De Marco Antonio Oratore literis proditum est, illum præ cæteris laudibus hanc præcipuam meruisse, quòd nullum unquam verbum ante Judices illi ab ore exciderit, quod ei, pro quo dixisset, obesse potuerit, cum persæpè contingat, quòd Orator, aut Patronus imprudenter, ac intempestivè dicendo, vel agendo deteriorem potius, quàm meliorem faciat eam, quam suscepit causam. Si tale quidpiam fortè præstarit Medicorum aliquis, ut facilè persuadere posset, nullam se unquam dictasse remedii formulam, quæ morbum exasperarit, id sanè perrarum esset, & Sapientiæ, & Felicitatis exemplum. Sed neminem adhuc fuisse facilè putarim, qui tam ritè, ac prudenter Medicinam fecerit, ut laudem hanc promeruerit, seu proferri possit, id quod quidam, qui nullam unquam cædem patrarat dicere solebat, *nulla domus, mei culpâ, pullam vestem induit*. O si quemadmodum in acta, & medicos fastus referuntur magnificæ quædam curationes eorum, qui post aliquod exhibitum remedium è gravi aliqua tempestate seu *fatiope*, vel *Medici* emerfere, ita in iisdem descriptos legeremus, quot vel in tempestantia Medicina in profundum demersit,

vel

(a) Tull. lib. 2. de Oratore.



vel inopportuna venæ sectio jugulavit, feliciorē forsan, & securiorē haberemus Medicam praxim, quā quod habemus. At nemo est, cui licet tacita culpa sudet mens conscia, qui inscitix suæ velum aliquod non prætendat, Hippocrate excepto, qui ingenua confessione, more scilicet magnorum Virorum, se à futuris deceptum fuisse posteris tradidit. Quibus verò studiis, ac facultatibus instructum esse oporteat verum, & perfectum Medicum, statuere, aut disquirere mihi haud quaquam mens est. Fecit id olim Hippocrates Medicorum maximus, qui boni Medici Idæam nobis depinxit, quod itidem Galenus, alique Clarissimi Viri nostra quoque ætate fecere, ut in eò, qui supra vulgares eminere debeat desiderari velint non solum Phylosophiam, atque eam partem potissimum, quam experimentalem vocant, sed Mathematicas facultates, & Polymathiam præcipuè, variam scilicet literaturam. His, atque aliis, ut lubet, insignibus præfulgeat is, qui professorio muneri se addixerit, aut librorum editione posthumam famam affectet; ego siquidem (quando in hoc celeberrimo Lyceo, & ab hac Exedra Practicæ Medicinæ tradendæ mihi munus incumbit) peculiarem quandam prærogativam forsan,

vel



vel neglectam, vel parum animadversam, ex qua tamen plurimum Ægris emolumentum, & Artis Medicæ decoris proficisci queat, in pratico Medico desiderarim. Eamque esse dico, ut qui ritè, ac piè Clinicam exercere velit, satagat noscere, quale sit de se in Medicina facienda commune hominum judicium.

Mirum sane, & observatione dignum, quomodo Medentium ferè quisquis, prout hac, vel illa corporis temperie à natura donatus est, & consuetudinè prout his, vel illis animi affectibus obnoxius, ita morborum curationem suscipiat, ac de illorum eventu facilè judicium ferat. Sic quosdam præfervidi ingenii, & quibus ex mascula bile turget Jecur, videre est, ubi ad Ægrum aliquem gravitèr decumbentem acciti fuerint, extemplò certa victoriæ spe concepta, Classicum canere, & ad Medicinæ armamentaria sollicitè accurrere, licet Ægri naturam, & morbi ingenium non habeant satis benè perspectum. Istos subinde, si quis obsistat, & illorum impetum parumper sufflaminare contendat, ad ravim usquè clamitantes audias, hostem quàm celerrimè conficiendum, antequam fortior invalescat, serò medicinam parari fractis, ac attritis jam viribus, *Dilationem omnem malam esse*, in Arte verò



rò medica pessimam (a), ubi *Dilatio* est Animæ *periculum*. Ita penès istos nec mora, nec requies, nullæ feriæ, nullum Sabathum, nulla visita-  
tatio sine aliqua novi remedii formula præscri-  
pta. Mineralia offeruntur, si vegetabilia, &  
animalia non proficiant, composita, & inexpli-  
cables mixturæ, si non satis virium credan-  
tur habere simplicia, ipsa quoque alimenta va-  
riarum rerum mixtione fulciantur, nec offer-  
ri solent, nisi medicinale quid sapiant; Sic af-  
fiduis ferè stimulis naturam licet repugnan-  
tem, ad pugnandum cum hoste intestino com-  
pellunt. Hæc itaque virtus animi vivida, &  
nimia ad agendum promptitudo non rarò inof-  
ficiosa est, & ægri rebus non parum noxia, eo-  
que deterior, si is, qui Medici officio fungi-  
tur, *recens*, ut dici solet, è *Lyceo venerit*, Ju-  
venili audacia exultans, & experiundis cupi-  
dus, quanquam non desint etiam Medici pro-  
vectioris ætatis, & filicernio jam proximi, qui  
vel ob assuetudinem, vel ob aliquot nativæ  
indolis igniculos adhuc superstites, nullas cum  
morbo inducias pacisci volunt, sed perpetuum  
bellum gerere ad internecionem usque vel  
morbi, vel ægri.

Neque verò hìc mihi iis Medicis sermo est,

I 4 qui



qui dolo malo , ac pessimo consilio remedia remediis aggerant , ut Pharmacopœis , quorum gratiam demereri fœnerare est , gratiores sint , seu ne in sinistro eventu quicquam inexpertum , vel intentatum videantur reliquisse , hos enim ærulkatores , atque ut cum Plinio loquar , *animarum negotiatores* potius appellarim , ac solum dignos , ut è Medicorum albo eradantur , sed cum iis mihi res est , qui rectè , & ex arte se existimantes , suo genio nimis aulcunt , & à naturalibus suis affectibus se transversos agi patiuntur .

Aliud porrò Medentium genus est ab iis , qui nimis actiuosi sunt longè diversum ; hi vultu , sermone , incessu melancholiam præferentes , habent omnia suspecta , & ex sua natura meticulosi in quocumque ferè morbo ad funesta præfagia sunt valdè proclives , timent quippè , ne morbus vultu placidus sibi illudat , lentè propterea , ac suspensio pede ad morborum curationem procedunt , cuctandum rati , atque expectandum , *quid serus Vesper vebat* , quid dies crastina , observando , num magis se prodat morbus , num sat virium Naturæ sit ad oppugnandum se sola morbum , num præindicata sit Crisis , num à catharsi , an à Venæ sectione exordienda sit curatio ; sic persæpè



pè sibi moras neſcendo, & prolatando occasio-  
nem, quæ præpeti pede fugit, & agendi op-  
portunitatem sibi è manibus turpiter elabi pa-  
tiuntur.

At qui decumbit, ſentitque in dies vires fa-  
tiſcere, atque unà illius domeſtici non ulte-  
riùs differendum reclamant, habet hoc Medi-  
corum genus paratas, ac veluti in numerato ra-  
tiones, & argumenta, quibus talem operandi  
modum tueantur. Primò quidem percelebre  
dictum illud Q. Fabii M. quod T. Livius recen-  
ſuit, obtrudunt, (a) *Medicos, & Imperatores plus  
interdum quiete, quàm agendo, & movendo profi-  
cere. Tempus ut morbos facit, ita & ſolvere, non  
eſſe tam facilè, ut creditur; conjecturis aſſe-  
qui, quid Natura intus moliatur, quò ten-  
dat, eam ſolam Morborum medicatricem, eſ-  
ſe, cui repugnare velle, nil aliud ſit, uti  
ajeſbat Tullius, quàm more Gigantum pugna-  
re cum Diis.* (b)

Hæc, & ſimilia objectant, ut naturalem ſuam  
ſegnitiem a culpa vindicent; interea tam qui  
nimis operoſi ſunt, ac ſolliciti, quàm qui ni-  
mis lenti, ac ſegnes, non ſatis benè audiunt,  
tum apud Sapientes, tum apud vulgus, ut  
illi paſſim traducantur tanquam fræno, hi

ve-

(a) Lib. 22.

(b) De Senectute.



verò tanquam stimulis egentes , veluti de Ephoro, & Theopompo suis discipulis dixit Iſocrates Orator clariffimus .

Longum eſſet recensere ſingula ingeniorum discrimina , & quò quemque Natura ducat , vel trahat , penè incredibilis enim in hac re eſt varietas , adeò ut non pauciores ſint animorum , quàm corporum formæ ; idem pro-  
pemodum , quod in Oratoribus evenit , quorum quiſquis ſuum habet peculiare dicendi genus , ita & in Medicis obſervatur , quorum ſinguli ſuam habent ex genio medendi formam : Sunt, qui placitis ſuis mordicùs hæreant , nec tam facilè ab eo, quod ſemel ſecundum rationem ſtatuiſſe viſi fuerint, divelli poſſint , reclamante licet experientia , & Ægro in pejus ruente ; ſunt, qui mobilis, & incoſtantis genii prout miteſcit, & aſperatur morbus, ſententiam & remedia in contrarium mutant ; ſunt, qui ſubagreſtis , ac tetricæ naturæ nihil Ægro gratificantes , vel in rebus leviffimis , Tortorum vices ſubeunt, & Tyrannidem quamdam exercent ; ſunt alii, qui nimis mites , & philantropi *cubantium delitiis ſubſcribunt* .

Quidam nimis creduli , remediorum efficaciæ multum tribuunt , ſunt qui nihil , pyrrhonianò more ſuum illud , *ἐπέχω* , proferentes  
&



& ut aliquid agere videantur, herbulam unam, vel alteram in jure decoquunt, & exhibent. Quosdam observare est taciturnos, pauciloquos, dictatoriè, quid agendum sit, præscribentes, sed qui de morbi natura, & præscripto remedio rationem nullam edisserant; quosdam ex adverso multiloquos, clamorosos, aptiores potiùs, ut laboranti Lunæ, quàm dolenti Ægro succurrant, decumbenti propterea non parum infestos, ut exindè Grecum illud manarit adagium Ἰατρός ἀδόλεχ' ὡς ἔντιά πάλιν νόσ' h.e. Medicus loquax, Ægro alter morbus; Habet quippe medicum Forum suas quoque Rabulas, & loquutulejos, qui Mutam Artem loquacem fecere.

Cum autem talia passim eveniant, neque tantum penès locorum, & regionum diversitatem, cum revera uti aiebat Celsus (a), aliud sit Medicinam exercere Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia, sed hæc observentur iisdem in locis, eadem in Urbe, in Medicis, iisdem in scholis instructis, ac veluti collactaneis, quamnam, precor, aliam causam, cur tam variæ, ac diversæ sint medendi formæ imaginari possumus, quàm temperamenti diversitatem, & exinde morum dissimilitudinem, sic ut quisque

( a ) In Prohemio.



que sui ingenii voluptati indulgeat, atque obtemperet. Rem non abfimilem in celebrioribus suæ ætatis Oratoribus admirabatur olim Tullius(a), ut hanc ob causam nesciret, quis esset Orator imitatione dignus. *Quid enim majus, agebat ille, quàm cum tanta sit inter Oratores bonos dissimilitudo, judicare, quæ sit optima species, & figura dicendi!* Id ipsum quantò magis admiraretur ipse Tullius, si illi reviviscere daretur, & in hoc Celeberrimo Athæneo latialis facundiæ Domicilio, tot Professores de sublimioribus Scientiis tam doctè, tam disertè, sed tam diversis dicendi formis differentes unica die audiret! Cum igitur inter Medicos non vulgares, sed probatos, & commendatione dignos, tum in prædicendis morborum eventibus, tum iisdem curandis, tanta ubique locorum observetur morum diversitas, quis non videt, cuique Medicinam facienti necessitatem incumbere, ut ad illud Oraculi Monitum *Πρῶθι σεαυτόν* vires, & animum intendat.

Studeat igitur quisque, ut se ipsum perfectè agnoscat, & quantum ab ea mediocritate, quæ in unaquaque re expetitur, ac præcipuè in re medica, ubi de humano corio agitur, declinet

( a ) D. Oratore.



net, ut si naturalem corporis temperiem immutare nequeat, saltem animi affectus prudentia medicatrice moderetur, inflectat, & ad Symmetron illud, in quo Virtus posita est, paulatim deducat. Quotus enim quisque Medicorum est, cui ex tam bono luto Titan præcordia finxerit, ut temperiem illam, quam Elementorum penfores ad pondus vocant, obtinuerit, ut neque plusquam decet, promptior sit ad agendum, neque segnior, neque plus æquo audax, neque magis, quam par est, meticulosus? (a) *Quisque suos patitur manes*, rectè agebat Poetarum Princeps, nullusque ferè est è Medentium classe, qui hac in re medela non egeat; remedia verò non è decantatis Medicinæ fontibus haurienda, sed è Moralis Phylosophiæ Promptuariis petenda.

Hujusmodi curationis necessitatem præ cæteris agnovit Galenus, siquidem cum elegantissimum Tractatum, cui titulum fecit, *Quòd animi mores sequantur corporis temperaturam*, conscripssisset, alium adjecit, *De cognoscendis, & curandis animi morbis*. Talis equidem curatio non adeò facilis est, neque paucorum dierum est, opus illam tamen inter adynata nequaquam reponendam esse, quotidiana experien-

(a) 6. *Æneidos*.



rientia satis commonstrat. Quemadmodum autem Medicus; si quando illi ægrotare contingat, sibi ipsi non fedit, sed alium accersit, à quo morborum affectus, quo premitur, naturam dignoscat, ita in hac re, de qua agitur, à recta ratione non aberrabit Medicus Practicus, si ab aliis addiscat, qualiter sit affectus, num Medicinam ingenuè, prudenter, & cum plausu exerceat, quibus in rebus ex communi consensu delinquat, & malè audiat. Dexterè itaque, & pro re nata ab hoc, & illo quasi ludens commune hominum iudicium subolfaciat; ac licet non rarò quædam illi parum grata sint audienda, hilaritamen animo accipienda, non secùs ac Medicatæ potiones, ac sincero examine expendenda, num vera, an ficta, num ab amico, an ab inimico pectore prodierint, atque hinc documenta pro affectibus suis moderandis excipere.

Quantum referat perspectum habere, quale sit de se hominum iudicium, ipsemet Servator Noster satis ostendit [a], dum enim humana sub imagine terras lustraret, quamvis quis, & qualis esset perfectissimè nosset, visus est tamen aliquando scire optasse, quid de se sentirent homines, cum ad discipulos suos con-

ver-

(a) *Divus Marcus* c. 16.



versus illos his verbis interpellavit, *Quem dicunt esse filium hominis?* Licet enim interrogationem hanc ab eo factam velint ad eliciendam suis discipulis fidei confessionem, non absque tamen fuerit hinc documentum excipere ad mores nostros componendos.

Neque pudori sit Practico Medico quoquomodo pervestigare qualis de se circumferatur opinio, neque solum quid amici sentiant, sed quid Æmuli, quibus cum aliqua fuerit similitudo; ab amicis enim laudem, quæ palato perjucunda est, facile est referre, ab inimicis autem veritatem, quæ salubrior. Non modica profectò sunt emolumenta, quæ ab inimicis referri possunt, si quis animum rectè advertat, & malo benè uti velit, *Qui enim inimicum habet Magistrum, gratis habet, ex quo aliquid discat, quod amicos fugiat* [a], cæcutit enim Amicus in eo, quem adamat, uti agebat Plato, qui enim livore tangitur ea, quæ laudantur, vel sicco pede præterit, aut extenuat, quæ verò vitium sonant, ampliat, ac spargit in vulgus. Ita verò naturæ humanæ imbecillitate, aut malignitate comparatum est, ut aliena vitia lynceis oculis perspiciamus, nostra verò lippis, nec videamus *man-*

ti-

(a) *Plutar. de emolu. ab inim. capien.*



*tica quod in tergo, est, (a) ut vetus fert paroemia*

Neque peritorum Medicæ Facultatis tantum, sed cæterorum quoque; quos in aliis Scientiarum generibus fama commendet, Sententiam scrutari, salutare consilium fuerit, quin popularium quoque sensa explorare, non inutilis erit indago, prudentia enim, & recti cognitio non solis literarum Cultoribus mancipi datur, sed plebeis quoque, quibus mira sagacitas in rebus suis agendis inest, literatis ipsis non rarò invidenda. (b) Pomponium secundum Tragædiarum Scriptorem referunt tantum populari iudicio tribuisse, ut quoties aliquis ex ejus amicis illi Suasor esset, ut aliquid ex scriptis tolleret, ipse verò retinendum arbitraretur, solitum dicere fuisse, *Ac populum provoco, atque ita Populi vel assensu vel silentio, aut suam, aut amici sententiam sequuntur.*

Pictoribus quoque olì m id moris fuit, ut post tabulas palàm expositas laterent, ut non tam curiositatis, quàm emendationis studio prætereuntium iudicium auscultarent, ut de Phydria perhibent, [c] qui cum Jovis imaginem absolvisset, illam hominibus visendam ostendit,

( a ) Catullus. [ b ] Plin. *Fun. lib. 1. Ep. 17.*  
[ c ] Luc. *de imag.*



dit, ipsum verò post januam attendisse, quid quisque spectantium laudaret, aut reprehenderet, quibus digressis ad populi judicium, & opinionem imaginem emendasse; *Neque enim existimabat mediocre, aut contemnendum esse populi numerosi consilium*; verum quippe, & Oraculi loco, præcipuè quod morum correctionem attinet, habitum est dictum illud, *Nemo populum, populus neminem fefellit.*

Quisquis igitur Medicæ praxi se devoverit ad mendum illud, in quod omnium oculi offendant, emendandum totis viribus intendat, ut id, quod in corporis constitutione à Natura non impetrarit, propria virtute animo suo adsciscat. Medicus itaque Practicus, cui non vile lucrum, sed ægrorum salus, & proprii nominis existimatio curæ fuerit, ad publicam hominum censuram, tanquam ad Speculum suos componat affectus, sique intelligat nimiam suam alacritatem, & in agendo celeritatem damnari, illam paulisper compescat, & lentè festinare perdiscat, si nimiam tarditatem improbari, & morum severitatem fastidiri torporem suum excutiat, & comitatem, quantum licet, sibi adiiciat, atque ut dici solet, *Gratis litet.* Habent enim id Medici, quos vel in conceptu, vel ortu Sa-



turni Sydus afflaverit, ut non adeò gratus sit illorum accessus, & consuetudo, qualis est eorum, quibus sub feliciori astro natis amænum ingenium Natura indulserit. Quod forsan in hanc rem eleganti dicto innuere voluit Clarissimus Orator, *In quibusdam Virtutes gratiam non habent, in quibusdam vitia delectant.* (a)

Medicus itaque sic compositus talis erit, qualem optabat Pindarus, ἄνχιερότατος hoc est ad manus promptissimum, sic enim agendi opportunitatem agnoscet, quando scilicet properandum, quando cunctandum, quando periclitari, quando morbi impetum eludere oporteat, quo pacto Quinti Fabii Maximi, & Marcelli laudes sibi adiiciet, quorum unus Romanæ Reipublicæ Clypeus, alter Ensis dicebatur.

Quod verò præcipuum est, altercationes, ac lites summo perè cavebit, ubi cum aliis Medicis consulere oporteat, malum satis frequens, quod in Medicina *semper damnabitur, & semper retinebitur*. Nihil esse, quod Medicam Artem magis dehonestet, & imposturæ similem faciat, quàm crebras Clinicorum concertationes, ac rixas, non rarò coram Ægris ipsis, & ubi de aliquo remedio deliberandum sit,

(a) Quintil. Lib. 11. institutionum.



fit, satis liquet, *nemine idem sentiente, ne alterius videatur accessio*, quod non tam in Artis infirmitatem, & incertitudinem acceptum referri debet, quàm in odia, quæ Medici ipsi tunc magis exercent, ac pandunt, quando occultanda essent, aut salutem ad tempus seponenda. Aristides, ac Themistocles duo apud Athenienses principes Viri, & ad præcipua Reipublicæ munia deligi soliti, apertis odiis ob æmulam Virtutem sese ad invicem inflectabantur, [a] *quoties tamen in legationem, vel expeditionem aliquam proficiscerentur, deponebant ad fines similitatem, quam reversi resumebant*. Egregium sanè Medicis documentum, ubi ad consultandum, atq; Ægrum aliquem curandum unà conveniant.

ORA.







# ORATIO SEPTIMA

Antiquitatis , & Novitatis Studio  
Medicum Perfici .

*Die XV. Novemb. Anno MDCCV.*



I olim , cum nondum intra Urbes , & Oppida conclusi homines per agros palantes ævum traducerent , Artes quascunque , ac eas præcipuè , quarum magis necessarius esset usus , magnis honoribus exceptas fuisse , ac illarum Inventores à bona posteritate in Deorum coetum relatos quandoque legimus , nihil omninò admirari solemus A. N. Quo enim , precor , à ferarum victu differret humanum genus , nisi repertæ fuissent Artes , quarum beneficio socialem vitam , qua nihil in terris beatiùs est . degeremus ! Artium porrò quædam à primæva sua dignitate , & existi-



matione descivisse, sive ob solitam rerum vicissitudinem, sive ob Hominum socordiam, uti conquestus est, qui de causis corruptæ Eloquentiæ scripsit, neque pariter admirationi esse consuevit. Quod verò ingenuæ quædam, ac honestæ Disciplinæ tunc primùm neglectui esse cæperint, cum summum penè perfectionis culmen pertigerint, cui infortunio præcæteris maximè obnoxia est Ars Medica, id unum est, quod nec satis admirari soleo, nec parum dolere possum. Medicina olîm cum ruditatis multum, & opere, & sermone præferret, ac fidenter magis, quàm scienter de partium structura, & usu, de morborum natura, ac indole, de remediorum potestate, tum coram Ægris in Consultationibus, tum in Lyceis declamaret, magna præmia, & magnos honores promeruit, adeò ut Medico prætereunti quilibet vir honestus caput aperiret, ac de via decederet; modò eadem post tot exantlatos labores, post tot gloriosa Inventa, cum non ampliùs analogismis, sed apodicticè procedat, imò oculata fide indigitet, quale sit verum Naturæ regimen, qualis Cerebri, partium spiritalium, Cordis, inferiorum Viscerum, & cujusque minimæ partis vera conformatio, & officium, ubi nam cubent gravio-



viores morborum pestes, ac ingenuè confessi quo usque protendatur remediorum virtus, ridetur, despicitur, ac tanquam Ars servilis traducitur, quam non ampliùs, ut olím, dignentur patritiæ manus attingere. At quid hoc rei est unquam? Num corruptos Seculi mores, ac temporum nostrorum barbariem culpæ liceat? absit. Quandonam enim unquam literatior fuit Mundus! Quanam ætate tam unanimi ubiq; terrarum consensu à doctis Viris desudatum est ad priscum literis honorem restituendum! Mihi equidem circa hujusmodi contemptum, & tam prostratam Medicæ Artis existimationem animum intendenti cum variæ, ac diversæ obversarentur causæ, potissimam esse credidi perpetua ferè inter Professores ipsos dissidia, ac præcipuè Antiquitatis, & Novitatis contraria studia, adeò ut Medici in binas veluti acies, tanquàm dimicaturi discesserint, quarum unà Veterum doctrinam penè adoret, & mordicùs retinendam velit, novam autem despiciat, altera verò auctoritatis jugo excusso, soli rationi, & autopsiæ auscultandum asserat; unde factum, ut cum sapientes Viri, tum plebei quoque homines, qui hæc concertationes norunt, & quandoque audiunt, stomachentur, & Medi-



cinam ab arte captatoria, vel parum, vel nihil differre existiment. Vobiscum itaque hac mea parænetica Oratione mihi res erit, Ornatissimi Philatri, ut si forte labes ista animos vestros irrepsit, illam elvam, & abstergam, ostensurus Antiquitatis, & Novitatis studio Medicum perfici.

Quàm graves turbas in politico regimine ferè semper ciere consueverint rerum Novitates, ubi quis nimirum veteres mores, ac leges abrogare, ac novas, licet postmodum in majora commoda cessuras, inferre pertentarit, jam satis, præter experientiam ipsam, cum veteres, tum recentes historiæ loquuntur. Magni quippe semper interesse creditum est, qualemcunque Civitatis statum, dummodo quietum, integrum servare, (a) quam ob causam Romæ olim libros de Sacrorum origine in Sepulcro Numæ Pompilii à bubulco re-  
pertos, Senatus cremari jussit, ne si ad vulgi manus devenissent, cum absurda quædam in iis continerentur, popularem statum perturbarent. Quibus intestinis motibus, exacto nuper Seculo, concussa fuerit Medicorum Respublica, ubi primùm ab Anglico Cœlo celeberrimum illud Phœnomenon circularis  
fan-

[a] Div. August. de Civit. Dei lib. 7. cap. 34.



sanguinis motus apparuit, quod Medicorum non paucos in sui admirationem, & amorem pellexit, jam satis perspectum est, ut nihil magis. Ad novum enim illius lumen cœcutientes, ac penè infanientes docti alioquin Viri clamitare cæperunt, fatuum Ignem illud esse citò desitutum, ac purum prurientis ingenii Commentum, quo stante brevi totam Medicinam eversum iri necessum esset. Diù equidem, & acriter utrinque pugnatum est, verum, ut olîm de Romanorum bellis civilibus,

*Bella geri placuit nullos habitura triumphos.*

Sicuti enim Veteris Medicinæ Assertoribus nequaquàm datum est, tam egregium, & frugiferum Inventum, multaque alia, quæ exinde Scrutatorum æmula virtus aperuit, evertere; ita neque illis priscam Medicinam adeò convellere, ut licet multum de illius amplitudine detractum fuerit, adhuc tamen multum honoris, ac dignitatis, illi non superfit. Quoniam autem res nondum satis benè sunt compositæ, & quibusdam in locis contentiosum hunc funem ducere libido est, propterea prudentis, ac ingenui Medici, qui solius Veritatis conquirendæ studio teneatur, erit, ita se gerere, ut sine partium studio, sine offensa possit utriusque Provinciæ fines longè, late-



tèque discurrere, eaque sibi comparare, quæ non solùm ad Medicam Eruditionem faciant, sed quæ ad Medicinam ritè, & cum laude exercendam conducant.

Amplissimus autem ad id patebit campus, nam ex solo Hippocrate quantum bonæ, ac sinceræ frugis licebit colligere! quot documenta, imò quot Oracula ad morbos prænoscentes, & fugandos quoque, ab inexhausto illius penu haberi possunt! Nemo ad illum accedit, quin doctior abeat, nihil est, quod quis discere velit, quod ille docere non possit (a). Experientissimus hic Senex, qui satis norat, quantum juxta locorum, & regionum natura Medicina differet, tanti tamen sua documenta ad morbos prænoscentes fecit, ut Vir alioquin modestissimus literis prodere veritus non fuerit, illa vera esse, & in Lybia, & in Delo, & in Scythia, hoc est in calidis, temperatis, & frigidis regionibus. Quàm doctè porrò, quàm eleganter Celsus, quem Latinum Hippocratem vocant, Medicum instruit, imò si lubet, expertum Chirurgum facit! quid autem è Galeni, non dicam Operibus, sed Bibliotheca sperare non liceat, si quis illam modò pulverulentam excutiat, sive raram, & pere-

(a) Hippoc. lib. Prænot. num. 27.



regrinam eruditionem circa Phylosophorum,  
 & Medicorum placita, sive particulares casus,  
 & medicas historias, sive egregia documenta  
 pro reparanda, sive pro tuenda valetudine  
 exoptet. Neque irritus labor fuerit Arabum  
 Sapientiam degustasse, aliorumq; Scriptorum,  
 qui postmodum per tot Secula commentaria  
 tua posteritati tradidere. Nolim tamen, quis  
 putet, velle me, quod Medicus, qualem pero-  
 ro, exactè calleat, *ut digitos, unguesque suos,*  
 quidquid apud hujusmodi Auctores scriptum  
 reperitur. Etenim, cum ob antiquum illud scri-  
 bendi Cacoethes, quod nostra ætate non pa-  
 rum perfrixisse visum est, magna sit librorum  
 turba, quæ discentem potius oneret, quàm  
 instruat, nimis improbus labor esset, velle  
 in cunctis disquirere, quid boni reperiatur, ni-  
 si interdum contingeret erronea quædam dog-  
 mata, & supervacua discere, mox dediscen-  
 da. Medicus tamen à bono Præceptore insti-  
 tutus facilè noscet, quos libros attentè legat,  
 quos obiter excurret, & quorum, ne hospes  
 in Medicina videatur, solam nomenclaturam  
 habere sufficiat.

Haud secus bonum Medicum novitatis stu-  
 diosum esse, & decet, & necesse est. Quot  
 beneficia, & inopinata commoda ex abdita-



rum rerum studio, atque scrutamine ad perficiendas Artes proficisci soleant, sola Magnetis ad Polum cognita conversio, cujus beneficio per ampla Oceani spatia *extra Anni, Solisque vias*, oculis non ad Astra, sed ad Versoriam intentis, licet discurrere, satis palam fecit. Curiositas equidem Ignorantiæ filia dicitur, sed postea Sapientiæ Mater evadit, Nisi tam curiosa indagine tot Scrutatores, quos habuit fortunatissimum præcedens Seculum, nobis aperuissent, quomodo, quibusve legibus in orbem feratur sanguis, per quos ductus chylosus latex, lymphæ, aliæque fluidæ substantiæ suos absolvant motus, qualis sit partium solidarum configuratio, & usus, qualisve earum ad invicem harmonia, quænam vis cunctos infusa per Artus corpoream molem agitet, quanta rerum caligo nos teneret? adhuc inter antiqua somnia versaremur inter facultates Tractrices, Retentrices, multasque alias tum socias, tum famulas; adhuc inter primarum qualitatum repagula Physiologica, & Pathologica coerceretur Doctrina; adhuc Jecur infectorio murere candidam chyli vestem in purpuream verteret; adhuc Lien peculiarem succum stomacho pro acetario ad excitandam Orem

sus-



suffunderet ; adhuc Pancreas , cœteræque glandulæ sub vili ministerio fulciendi Vasa laborarent ; adhuc ad Cor tantummodò perfrigerandum , & extrudendas fuligines anhelarent Pulmones . Adhuc , cæcorum ad instar , cum morbis congredieremur .

Quoniam autem Prosectorum industria , manibus ferro , oculisque microscopio armatis , tam altè in Regnum Naturæ penetratum est , imò Natura ipsa , quæ nobis antea tot variis formis illudere consueverat , tandem non secus ac Virgilii Protheus , tortura , & vinclis in vivorum anatome verum fieri coacta est , modo ad oppugnandos morbos , ratione duce , & auspice procedimus , ut Pharmaceuticam rationalem , Chirurgiam , & rationalem quoque Diætam teneamus . Sic autem , quod non abnuo , non ignotum prorsus fuisse veteribus sanguinis in orbem motum , aliaque Inventa , quæ modo habemus , non nisi obscurè tamen , ac sine usu ea noverunt , quæ nos tam magno emolumento , tam manifesta ac clara luce , conspiciamus , ut non ineptè Prophetæ dictum illud pronuntiari possit . *Seniores somnia somniaverunt , juniores autem visiones viderunt .* (a) Hinc discere liceat ,

(a) Joel. 2.



ceat, Ornatissimi Philatri, quantum intersit: nova Documenta, non solum nudè, & simpliciter cognita, sed ritè habere perspecta, ad quæ extra omnem controversiæ aleam posita, ac veluti ad Policleti regulam referre liceat, quidquid scriptum reperitur. Non satis itaque fuerit ab antiquis Fontibus Medicinam hausisse, sed necesse quoque est puros, ac securos latices degustasse, quos novæ scaturigines tam larga vena effudère. Ex novarum itaque, & antiquarum rerum peritia, bonus, ac verus conflatur Medicus, qui sciat, qualis fuerit Medicinæ ortus, & progressus: qualis præsens illius status, ac, si licet, divinare etiam, qualis futurus sit. Hoc est vere Medicam Artem profiteri, nequaquam verò in Veterum decreta solummodo jurasse, ac variis textuum interpretationibus, idem agere: quod veteramentarii Sutores, *Dentibus antiquas soliti producere pelles*, aut ejuratis Galeni, aliorumque Doctrinis, solam novitatem affectare.

Quamquam, si rem attentè expendamus: usitata isthæc Antiquitatis, & Novitatis Vocabula non rarò nobis imponunt, dum rebus antiquissimis, antea à nobis ignoratis novarum rerum nomina imponimus; sic no-



vum Orbem eam Mundi partem vocamus ,  
 quam rerum Universitati coævam primus  
 omnium Columbus navigatione nulli antea  
 pertentata aperuit ; sic novos Planetas Cor-  
 pora illa cœlestia dicimus , quæ à Mundi  
 origine mortalium obtutui inconspicua , Ga-  
 lilæus , Vir fanè Lynceus , oculis Telescopio  
 nunitis visenda præbuit , atque ut ea splen-  
 didiora redderet , regio Medicæ Familiæ  
 cognomento insignivit ; sic verbo rei parum  
 congruo primas Mundi ætates antiqua tem-  
 pora vocamus , cum verè nostra tempora an-  
 tiqua dici mereantur , & Mundi grandævi-  
 tas in dies major semper futura sit , exordio  
 scilicet , uti fas est , ab Universi fabrica de-  
 ducto , Non sunt igitur tanti facienda Anti-  
 quitatis , & Novitatis nomina , ut vos O.D.

Veritatis studio , quod unicum esse debet ,  
 abducant , ac transversos in rixas , ac simul-  
 tates agant . Id enim , quod à nobis novum  
 dicitur , si verum est , antiquum est ; quid  
 nim veritate antiquius !

Ad evoluenda igitur tam prisce , quàm  
 novæ Medicinæ selectiora monumenta vires,  
 ac animos intendite ; Vobis exemplo sint cæ-  
 lerarum Facultatum cultores . Quibus volu-  
 e est Poesi indulgere , num solùm Virgi-  
 lium



lium, Horatium, Ovidium, aliosque illorum  
 temporum [ ut intra Aufoniæ fines, intactis  
 Græciæ litoribus consistamus ] colere, & le-  
 citare censendum est? an non etiam clarior  
 res Poetas, quos habuere posteriora Secula  
 uti Pontanum Actium Sincerum, atque eos  
 etiam, quos hæbet ætas hæc nostra? De  
 Poetarum Principe satis constat, illum, &  
 suorum, & antiquiorum temporum Poetas  
 coluisse, atque Ennii carminibus apprimi  
 oblectatum fuisse, cumque ab eo quærere-  
 tur, quid in obsoleto Poeta reperiret, *Au-  
 rum inquit, ex Ennii stercore colligo.*

Quisnam Philosophus est, qui postquam  
 Aristotelis opera satis versarit, ( sit tamen  
 sapiat, ac verè Philosophus h. e. Sapiencia  
 amans dici optet ) experiri etiam non velit  
 qualis sit Philosophorum nostræ ætatis Do-  
 ctrina? Quisnam Mathematicum se prostea-  
 tur, & solius Euclidis elementis contentum di-  
 cat, Galilei autem, & Borelli sapientiam de-  
 gustare non dignetur. Aut quis Geographia  
 studiosus est, qui solas Ptolomæi tabulas  
 ubi antiquus Orbis describitur, observarit  
 ac nunquam exactissimas, & elegantissimas  
 quas modò habemus, mappas lustrarit, ubi tum  
 antiquus, tum novus Orbis magno mentis  
 & ocu-



& oculorum oblectamento delineatus vifitur?

Verùm ut quid externa exempla conquiramus, cum domestica abundè suppetant? (a) Magnus Hippocrates Medicæ Artis conditor simul, & Stator, sicuti novitatis studium commendavit, ubi Democritum convenit animalium Corpora dissecantem, ut amentiaæ sedem disquireret, ita neque priscam Medicinam abhorruit, librum enim de veteri Medicina conscripsit, parvum quidem, sed aureolum, quem totum sui juris fecere Hermeticorum Alumni. (b) Galenus quoque in suis, quas suscepit, peregrinationibus, se non parum novarum rerum studiosum ostendit. Vir iste solertissimus Destillatoriam Artem mente concipiens in votis habuit, ut modum sciret, quo pars Vini meracior, & tenuior à crassioribus secerni possit, sicuti Butyrum à lacte separatur, imò non levem gratiam iis habiturum se dixit, qui tale mechanicum instrumentum sibi ostenderent.

Doctissimus Mercurialis [ ut novos quoque Scriptores in scenam producamus ] multa quidem cedro digna Volumina conscripsit,

Tomus IV.

L

psit,

[a] In Epist.

[b] De simpl. Med. Facult. lib. I. cap. 17.



psit, ast quantum dignitatis, & claritudinis nomini suo adscivit solo Artis Gymnasticæ libro, ubi modum, ac leges patefecit, quibus Veteres corpora sua exercerent, non solum ad publica spectacula, sed ad salubritatem, & decorationem conciliandam, qualem Artem nostra ætate penè obsoletam Majores nostri tanti fecere, ut illi ad Juventutem exercendam, suos Pædotribas, & Gymnasiarchas præficerent, quos inter olim percelebris fuit Herodicus Hippocratis Præceptor, qui Platone referente, Artis Gymnasticæ beneficio licet semper valetudinariis, vitam ad ultimam senectam produxit.

(a) Thomas Bartolinus Hassniensis Academiae clarissimum lumen Novitatis, si quis alius, studiosissimus Cultor, cum repertis vasis Lymphaticis magnum sibi nomen comparasset, ut in Anatomico Theatro inter novarum rerum Inventores in decimo quarto gradu sedere posset, ad illustrandam antiquitatem animo converso, egregium Opus de Veterum puerperiis ad umbilicum penè perduxerat, ast illius Gloriæ Vulcanus invidit, qui ejusdem insigni Bibliotheca exusta, id quidem obtinuit, ut hoc tam præstanti Opere

re



re careat posteritas , sed non ut illius aboleatur memoria , ac desiderium .

Quantum igitur à Medicæ Artis Procerum Vestigiis aberrant , tum ii , quorum palato solum arrident , quæ novitatem sapiunt , & fatua videntur , quæ Antiquitatem redolent , tum ii , qui cum Veterum salivam semel combiberint , reliqua omnia fastidiunt , satis liquet . Quoties aliquem pro dignitate priscae Medicinæ reparanda perorantem audio , mihi Symmachum Romæ Præfectum declamantem audire videor , qui cum Deorum cultum deferri , ac omnes ad Christianam Religionem confluere videret , magna facundia , ac delenificis verbis suadebat , ut in Curia Ara vetus Dæ Victorix instauraretur , cui postea D. Ambrosius non minus elegantem , quam doctam , & nervosam Orationem reposuit .

Haud aliter sine stomacho audire non liceat , qui omnem Veterum doctrinam , tanquam falsis theoriis superstructam è Scholis proscriptam vellent , non secus , ac si cuncta omnia , quæ novi Scriptores literis mandarint , tam firmo stent talo , ut aliquando è sua dignitate cadere nequeant . Ut unicum rem pertingam , paucis ab hinc annis



Scholæ totæ erant in fermentis , ut nihil aliud creparent Cathedræ , quàm fermentationem , qua naturalem partium œconomiam exponerent ; modo ad Pistores ablegatis omnibus penè fermentis , naturales functiones per simplicem texturam , configurationem , & mechanismum explicantur . Suos igitur manes nova quoque paritur Medicina , & non pauca illius dogmata , quæ multo plausu excepta sunt , forsan aliquando ab Aula recedent , & quæ exulare iussa fuerant , in gratiam redibunt . Ast siue illorum ignavia , qui Medicinam discunt , & Artem suapte natura longam , brevem fieri vellent , in causa est , ut medio in cursu consistant , siue varia , & diversa in Scholis Juvenum institutio effecit , ut Medicæ Artis Alumni Nutricos suos nimis diligant , & ab illorum præceptis ne hilum quidem discedant ; sed forsan Tempus veritatis Parens , & diuturnarum ægritudinum verus Medicus huic malo medelam aliquam adferet .

Utriusque juris igitur Medici antiqui , & novi peritum esse oportet Jatricæ facultatis Professore , nullique sectæ mancipatum *Sanus homo , qui & bene valet , & suæ spontis , est , nullis obligare se legibus debet . Hunc oportet*



*tet varium habere vitæ genus, modò ruri esse, mo-*  
*dò in Urbe, nullum cibi genus fugere (a); Sic olìm*  
*Celsus de Homine sano, & libero; id ipsum*  
*quoque de Medico ingenuo, & cui sanum sit*  
*incipit, proferre liceat, nimirum quòd li-*  
*berè sentiendi integram potestatem ferveret,*  
*nullumque doctrinæ genus abhorreat, dummo-*  
*dò rationi, & experientiæ respondeat. Etenim*  
*sicuti in Nummis non elegantia, neque num re-*  
*cens, an multò ante percussi fuerint, sed bo-*  
*nitates, & pondus spectatur, ita & de libris idem*  
*judicium esto. [b] Qui veteri vino utuntur, sapien-*  
*tes puto, aiebat Comicus; rectè quidem, ni-*  
*si tamen vinum in vappam, seu acorem transie-*  
*rit; non minùs tamen Sapientes judicandi, qui*  
*recenti utuntur vino, si defæcatum fuerit;*  
*hoc enim vini genus plus nutrit, multòque*  
*plus spiritus ab eo elicitur. Non mediocri au-*  
*tem oblectamento Vobis erit, Studiosissimi Ju-*  
*venes, ab antiquis lectionibus ad novas migra-*  
*re, à Sylvis post longam venationem ad cul-*  
*ta Novalia, unde amplæ fegetes haberi pos-*  
*sint, sic quotiescunque ad Veterum Mensas,*  
*ubi aliquantò crassiores Cibi offeruntur, Vos*  
*saturos noveritis, liceat Vobis ad Scripto-*  

L 3

*rum*

(a) *Celsus lib. 1. cap. 1.*

(b) *Plant. in Prologo Casinæ.*



rum nostræ ætatis Symposia divertere, ubi elegantiores, & sapidiores præsto sunt epulæ, quæ magis ad stomachum faciunt, & concoctu faciliores sunt.

Neque vero cuiquam ex Vobis, O. D. pudori sit suis opinionibus, quas diu foverit interdum nuncium remittere, si ad lydium veritatis lapidem non satis respondeant; persæpè enim fit, ut nonnulli id, quo imbuti fuerint, arctè retineant, vel quia vereantur, ne inconstantes, ac transfugæ dici queant,

*Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ*

*Imberbes didicere, Senes perdenda fateri [a]*

Non desunt Doctissimorum Virorum exempla, qui opinionibus suis, falsas deprehenderint, non solum vale dixerint, sed retractio-  
num libros ediderint, uti inter Sacros Scriptores D. Augustinus, ac inter nostros F. Plempius, qui eam, quam de sanguinis circulari motu doctrinam evertere contenderat, solidis rationum momentis statuminare conatus est, adeò verum est sæpènumerò fieri, veluti agebat Terentianus Senex, *ut illa, quæ te scire credas, nescias, & quæ putaris prima, in experiundo repudies. (b)*

Exem-

(a) Hor. lib. 2. Epist.

(b) In Adelphi Actu pr.



Exemplaria igitur, tum vetera, tum nova  
*Nocturna versate manu, versate diurna*, & quid-  
 quid bonæ frugis illis inest, sine partium stu-  
 dio colligite, atque asservate. Fas sit Ve-  
 terum Sapientiam admirari, non ita tamen ut  
 nostrorum temporum despiciantur ingenia;  
 cessent tandem odia, cessent convitia, qui-  
 bus utraque pars damnatur, neutra absolvi-  
 tur. Suus apud vos novis Scriptoribus, qui  
 Medicinæ pomæria tam amplè, tam feliciter  
 protenderunt, perstet honos, & cultus; Pri-  
 scis quoque Auctoribus, quorum humeris nos  
 insidentes tam longè prospeximus, suus ha-  
 beatur honos, & gratia. Licet autem illi hu-  
 mani aliquid interdum passi fuerint, erronea  
 quædam dogmata tradendo, non idcirco def-  
 puenda sunt illorum opera, tanquam prorsus  
 infrugifera: fateri enim licet ingeniosa fuisse,  
 in tanta tunc temporis obscuritate illorum fig-  
 menta, quibus si non laus, saltèm neque de-  
 beatur contemptus. Lubet hic referre Plinii  
 Junioris verba, quibus amicum suum in Acha-  
 jam proficiscentem admonitum voluit, susce-  
 ptam Provinciam rectè administraret *suus apud*  
*te*, aiebat ille, *sit bonos Antiquitatis, sit in-*  
*gentibus factis, sit Fabulis quoque.* (a)

L 4

ORA.

(a) Plinius lib. 8. Epist. 24.







# ORATIO

## OCTAVA

In Medicina facienda remediorum simplicitatem Operosæ Compositioni Præferendam.

*Habita die 5. Novembris MDCCVI.*



Uotiescunque mecum ipse A. N. ad eam Facultatem, quam publicè profiteri datum est, animum adverto, ac perpendo, quàm gravis, quàm numerosa morborum cohors humano generi incubuerit, atque illud malè plectat, ex adverso autem quàm parum firmis præsidiiis ad tot hostes propulsandos Natura nos communi-  
 nierit, magna equidem me corripit commiseratio, tum mortalitatis nostræ, cui à tam infesta, & subdola stirpe nulla unquam pax fida, nulla securitas, tum Medicæ Artis, quæ cum non semper præstare valeat, quo acer-  
 bius



biùs interdum ab illa exigitur, probris, & conviciis passim impetitur, quasi Ars illuforia sit, aut adeò infirma, ut & ipsa quoque medela indigeat. Scitè quidem, ac eleganter pronunciavit olim egregius Scriptor, *Natura infirmitatis humanae tardiora esse Remedia, quàm mala* (a): quod dictum meherclè, quamvis ab Auctore suo ita fuerit prolatum, ut ad res quascunque, tum publicas, tum privatas accommodari queat, rei medicæ tamen adeò proprium est, ut cuncta Remedia, quæ hactenus excogitata, & reperta fuere, ad congregiendum cum morbis non nisi claudo pedes incedant. Febris Furiarum maxima funereis facibus armata, quàm properè humana corpora depascitur, atque absumit! at præsidia, quæ ad febrile incendium sin extinguendum, saltem sufflaminandum opponimus, tantò tardiora sunt, quantò unda est tardior igne. Symplex afflatus apoplecticus fulminis ad instar hominem, ut ut robustum, temporis momento exanimat, atque prosternit; quale autem habemus Remedium licet de volatiliū familia, quod tam gravis affectus in agendo pernicitatem æquare valeat? In iis quoque morbis, qui lentè, & laneo pede, ut dici solet, pro-

(a) Tacit. in vita Julii Agricola.



procedunt, antequam erumpant, & diritatem  
 suam prodant, qualis est hydrophobia ex ra-  
 bidi canis morfu, stupet attonita Ars Medi-  
 ca, & plerumque nescit, quomodo venienti  
 morbo occurrat. Ita est profectò A. O. sin-  
 gula percurramus morborum genera, vero  
 veriùs deprehendemus, tardiora esse Remedia,  
 quàm mala. Verùm istud etiam utcumque fe-  
 rendum esset, quando in Orbem terrarum, ceu  
 in arenam hac lege descendimus, ut nobis le-  
 vi Armatura instructis cum truculentis mor-  
 borum feris continuò sit depugnandum; at  
 quod magis dolendum, & dissimulare non li-  
 ceat, est, quod non rarò nostra culpa fit, ut  
 tardiora sint Remedia, si malis conferantur,  
 quàm quòd revera talia sint nata, dum illa ad  
 invicem permiscendo, confundendo, corrup-  
 pimus, eviramus, ac talia reddimus, ut cum  
 intra vitæ hospitia fuerint admissa, inter se po-  
 tiùs, quàm cum Morbo, & causa morbifica  
 pugnam ineant. Providæ quidem, ac satis be-  
 nignè Natura nobiscum egerat, dum nobis  
 quidem ignoto, sed subtilissimo magisterio in-  
 noxia Remedia elaboraverat, imò notis qui-  
 busdam, & lineamentis distinxerat, ut faci-  
 le, & ipso obtutu peritus Observator posset  
 internoscere, qualem plantam sibi cognatam,  
 & men-



& mendicatricem pars quælibet corporis fuerit sortita, nisi in nostram perniciem convertere lubuisset; quæ in salubritatis gratiam fuerant fabrefacta. Jam tenetis video, O. D., quid velim, quid mediter, non nisi scilicet, ut quando Practicæ Medicinæ tradendæ mihi munus incumbit, rationum momentis ostendam, in aggredienda morborum curatione, Remediorum simplicitatem nimis operosæ compositioni præferendam.

Medicinam solius Divinæ beneficentiæ, ad malorum, quibus conflictamur, lenimen aliquod, donum esse ex sacrorum Codicum testimonio satis constat, quod ipsum Ethnici quoque sensere, qui proverbiali dicto Medicamenta Θεῶν χεῖρες h. e. Deorum manus appellarunt. Non sunt ergo Medicamenta humanæ conjecturæ Opus, si Divinum sunt Magisterium; ad Medentium solertiam solummodo spectaret amplum Naturæ Regnum perlustrare, ac diligenter scrutari, quænam sint Remedia ad particulares corporis affectus sanandos nata, multiplici nimirum experimento, & accurata observatione, uti olim priscis Medicinæ Parentibus laudabili instituto mos fuit.

[a] *Gloria Dei est rem celare, Gloria Regis investigare,*

(a) Prover. cap. 25.



re, sic olim humanæ Sapientiæ Promocondus Salomon. Summus rerum Opifex, tanquam ludens in Orbe terrarum, in sinu vegetabilium, Animalium, & Mineralium arcanas vires occuluit, ut esset hominibus, unde ingenium, ac industriam exercerent, & rerum Virtutes absconditas in apricum eruerent. Ast minus periti Artifices nobis videmur, nisi prælongas, ac interdum etiam scriptas à tergo Schedas apud ægros relinquamus, & in simplici quoque affectu non solum simplicia simplicibus, sed etiam composita compositis permisceamus. Non multum equidem hac in re ab similes sumus Pictoribus, qui sinistra manu tabellam, dextra pennicillum gerentes, toti sunt in permiscendis coloribus, hoc tamen discrimine, quòd illorum obtutui exemplo se prodit nova coloris species, nobis autem neque sensuum ministerio, neque ratiocinantis facultatis ope concessum est, nosse tam facile, quale sit concretum, quod ex confusanea Remediorum turba emergat.

Elenchum sanè magnum admittit, & mendosè colligit quisquis ex qualitatibus, quæ rebus miscibilibus insunt, inferre velit, easdem proportionatè in mixto corpore reperiri, cum in novo producto præter nativas qualitates insigni-



signiter fractas, per sæpè aliæ omnino diversæ, interdum etiam virulentæ caput exerant. Ex binis liquoribus pellucidis, si unà permisceantur, corpus opacum aeri satis vulgare experimentum est, ut in scriptorio attramento. (a) Binas pariter fluidas substantias in ipso permutationis actu in solidum corpus concreescere, Offa helmontiana demonstrat. (b) Aurum ex sui natura vim fulminandi non habet, cum spiritu nitri fulmineam potestatem adsciscit. Argentum vim purgatricem non possidet, cum eodem nitri spiritu vehemens hydragogum evadit. Ex variis salium generibus, quorum usus seorsim innoxius, est parari aquas stygias, & fortes, ut vocant, acerrimum venenum, satis vulgatum est. Imo quod magis mirere, bina venena consociata quandoque in Antidotum migrarunt; quale exemplum habet Ausonius de muliere, quæ cum zelotypo marito toxicum propinasset, ut necem magis acceleraret, argentum vivum superaddidit, ex quorum miscella, & luctamine miserando illi inexpectata salus oborta est. Quid porrò magis palam facit, quanta mixtionis sit dynamis, quàm pulveris pyrii compositio; Con-  
fla-

[a] Boyle in Phil. Expe.

[b] Eimulerns Pyrotec. Ratio. cap. 2.



flatur hic, ut norunt omnes, ex sulphure,  
 nitro, & carbonibus; sulphur lentè conflagrat,  
 nitrum ab igne resilit, carbones accensifcintillas projiciunt. At isthæc invicem discretata quid admirandi continent! Ex horum tamen permixtione cum proportione quadam tale productum, ac tantarum virium exurgit, ut nisi periculis nostris, atque hac tempestate magis, qua ferali bello tota exardescit Europa, experiremus, quid possit, tale portentum Atellanis fabulis accenseremus. Profectò si Virgilius tale id scisset, neque Salmonea dementem, neque fulmen non imitabile dixisset. Quàm cautè igitur, quàm circumspectè in pharmacia administranda procedere debet bonus Medicus cavendo à tumultuaria Medicaminum mixtione, unde ignotarum virium concreta emergant, immo interdum Monstra; non secus ac in Africa ex ferarum diversi generis coitione, quæ Medicamenta cum Stomachum, qui campus Martius est, ubi exercentur graviores pugnae, subierint, quos tumultus, quales turbas interdum non cient? Præterea cum ad rerum crasim, & texturam immutandam, & invertendam multum polleat fermentatio, atque ubi rerum diversæ indolis fiat



fiat permixtio hæc præsto fit, non immeritò  
 ambigere licebit, noxia ne, an salubria futu-  
 ra sint hujusmodi remedia, præsertim si exhi-  
 beantur, absoluta nondum fermentatione. Sic  
 in cubiculis, ubi Ægri decumbunt, super men-  
 sas magno apparatu instructas non rarò vide-  
 re est mixturas ex variis cardiacis ad maligni-  
 tatem præcavendam, vel abigendam in febris  
 bus præscribi solitas, in tumorem attolli, &  
 è vasculis ipsis effundi, Ægris ipsis, qui rem  
 hujusmodi spectant, non parum stomachanti-  
 bus. Haud secus cum simplicia corpora per  
 menstrua solvantur, ut Extracta, ac Magi-  
 steria haberi possint, non tam facilè, ex inge-  
 nua quoque Chymicorum confessione (a), men-  
 strua à soluto corpore separari possunt, ut ali-  
 quid de illis non supersit. Quid verò si ad hæc  
 ignis tortura accedat? Ignem magnum Ana-  
 lystam, & rerum corruptorem appellavit Hel-  
 montius, at propius vero accessisse visus est  
 Plinius, qui tanquam Chymista scepticus du-  
 bium esse scripsit, num ignis *plura absuma,*  
*an pariat, & aliud esse, quod primis ignibus, aliud*  
*quod secundis, aliud quod tertiis gignitur* (b). Cur  
 ergo si veri specimen aliquod habent ista in  
 Me-

(a) Senert. de Conf. & Diff. Chim. cum Gal. c. 19. Et mul.  
 in Pyrot. Rat.

(b) Lib. 3. cap. ult.



Medicina facienda, Remediis compositis non præferantur simplicia tot casibus, tot mutationibus, haudquaquam obnoxia?

Sit autem, quod non diffiteor, Remedia ista, quæ prostant ad normam, ac leges, quas Offinarum Dispensatoria præscripserint, exactè, & scrupulatim fuisse composita, & juxta proportionem omnes tum Geometricas, tum Harmonicas [cum in subsidium Musicam quoque advocarint medicaminum factores, ut in Theriaca diateffaron] an propterea censendum leges hujusmodi aliquo Numine affante Logiatri, qui eas tulere, fuisse dictatas, ut si qui illarum abrogationem intentare velit, tanquam violatæ Religionis reus habendus sit? Illa equidem præsidia, quæ parens Natura, seu Naturæ Auctor fabrefecit, in pondere, numero, & mensura facta fuisse credendum est, ac ejusmodi structura, ut mechanica quadam necessitate, particulares quosdam effectus edant, quos magis admirari, quàm intelligere, & imitari possumus. Cum autem non levi compendio à simplicibus, interdum etiam intra pomeria ipsa prognatis, impetrare liceat quidquid fucatis titulis polliceantur nimis operosè ex variis rebus non tam solo diversis, quàm viribus inter se ad-



versis confarcinata medicamenta, cur decumbentium vires, & patrimonium fatigabimus?

Neque obtrudat quispiam non omni prorsus noxa carere simplicia, ideoque aliarum rerum permixtione corrigenda, castiganda; castiganda utique etiam ipsa simplicia, sed non secus ac triticum, ex quo panis conficitur, castigari solet, dum sub versatili mola in pollinem teritur, dum similago à furfuribus secernitur, dum fermentatur, dum pasta pinfitur, dum coquitur. Et qua rerum permixtione totum hoc opus perficitur? non nisi simplicis aquæ affusione; quòd verò animadversione dignum est, panis omnem ferè alienam mixturam respuit, nam si cum melle, saccaro, butyro, ovis, aliisque rebus hujusce generis paratus fuerit, quantum salubritatis illi decedit! licet autem ad unam, vel alteram diem palato gratior sit dulciarius hic panis, quàm densus postmodum, quàm onerosus stomacho evadit? sic neque Vinum ad hilarandas mensas accedit, nisi prius mustum rustico pede ab uvis expressum, in tinis efferbuerit, in doliis defumarit, ac defœcatum fuerit; quòd si præ nimia spirituum copia turgeat, & Capiti noxam aliquam minitetur, aut lymphæ, aut sacco franguntur illius vires. Idem quo-



que fiat de simplicibus Remediis illa à for-  
 dibus expurgando, infundendo, maceran-  
 do, decoquendo, succum exprimendo, &  
 consimilibus aliis modis. Quòd si de maritan-  
 dis simplicibus lubido aliqua subeat, id cautè  
 fiat, ut non alienigenis, & exoticis tam faci-  
 lè jungantur, sed iis, quæ de eadem sint co-  
 gnatione. Ut autem iusta emendatio, & cor-  
 rectio Medicamenti habeatur, ritè perspectam,  
 & exploratam, necesse est habere Naturam,  
 tum illius, quod emendari debet, tum ejus,  
 quod pro corrigente adhibetur; persæpe enim  
 fit, ut hisce corrigentibus, Medicamenti na-  
 tiva virtus, aut nimis obtundatur, aut plus,  
 quàm par est, exaltetur. Ad quot Secula cre-  
 ditum est Opii vim narcoticam calidiorum aro-  
 matum permixtione corrigi, atque cicurari,  
 ut in Philoni Romani, aliorumque opiatorum  
 præparatione, cæca scilicet persuasione per-  
 traducem ad nostra ferè tempora deducta, qua  
 credidere Majores nostri vim Opii soporiferam  
 in excellenti frigoris gradu esse positam.

Nolim tamen quis putet consuetudinem  
 hanc Medicamenta miscendi, & remiscendi  
 traduci mihi tanquam seculi vitium, & im-  
 posturam; perantiquus enim mos est hujus-  
 modi, & sola antiquitate defenditur, qui



primum in Græcia post Hippocratem caput extulit, ac postmodum apud Arabum Scholas maximè inolevit, & ex inde totam Medicam Rempublicam contagione quadam pervasit. Consuetudinem hanc eleganter expressit Poetarum Princeps, dum Medicum quemdam nomine Japidem describeret, Pæonium in morem succintum, ac satagentem, ut sagittam infixam evelleret, qua Æneas in acie fuerat sauciatus, idque cum frustra pertentaret, tenaci forcipe telum infixum trahendo, & vulnus blande fovendo ex variis herbis totu parato. Venus Dictamum creticum balneo permiscendo effecit, ut sagitta manum secuta nullo cogente excideret. (a)

*Hic Venus obscuro faciem circumdata nimbo  
Detulit, hoc fuscum labris splendentibus amnem  
Inficit, occultè medicans, spargitque salubres  
Ambrosiæ succos, & odoriferam panacæam.*

Non ita verò Homerus, (b) cujus ævo forsan simplicior, ac propterea salubrior erat mendendi ratio; Helenam enim describens celebre illud mæroris, & luctus Pharmacum, (c) h. e. Vinum Nepenthes parantem, ut Menelao, ac Thelemacho Ulyssis Filio graves

cu-

(a) Lib. XII Æneid.

(b) Odiss. Lib. 3.

(c) Vid. Lang. lib. 3. Epist. 6.



curas ob longam nimis peregrinationem con-  
fopiret, illam finxit radicem Oenopiæ in  
vino infundentem, qua planta in Ægypto à Po-  
lydamna Regis Theonis uxore fuerat donata.

Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἐνθενέπινον  
Νηπενθὲς τ' ἀχολόν τε κακῶν ὅππ' ἴηθον  
ἀπάντων.

At si modò languenti ægro medicatum ali-  
quod Vinum esset præscribendum, minùs ri-  
tè paratum habebitur, nisi in illo infusæ,  
& ad putrilaginem usque fuerint maceratæ  
plantarum diversi generis radices, folia,  
flores, fructus, semina, aromata, summa-  
tim integra remediorum sylva, irrita sanè  
diligentia, qua numerus computatur, ubi  
virtus, & pondus quæritur; Verùm usus  
obtinuit, ut in omni penè morbo miscella-  
nea Remediorum turba, quam non immeri-  
tò arenam sine calce quis dixerit, in Sce-  
nam producat, ac pudori ferè sit Schedam  
aliquam ad Seplasiarium deferendam, & in  
propatulo collocandam conscribere, nisi ce-  
lebre illud *Miscè* tamquam publicum Phar-  
maceutices sigillum fuerit appositum.

Non possum, fateor, non mirari quomo-  
do Medentium ferè quisquis tam severè, tam  
religiosè in alendis Ægris victus simplicita-



rem servandam velit, ut siquid hac in re ab  
 assidentium indulgentia peccatum fuerit, ad  
 ravim usque clamitet, ac protestetur sibi cul-  
 pæ minimè vertendum, si quidquam sinistri  
 contigerit; in administrandis verò Reme-  
 diis, quorum vires persæpè non satis sunt  
 perspectæ, & stomacho infuetæ, nullum  
 non mixturarum genus tam fidenter in usum  
 revocet. Profectò quantum ad Vitæ longæ-  
 vitatem, ac integram valetudinem servandam  
 conducat victus simplicitas, nemo non no-  
 vit, ac satis palàm faciunt veteres Heremi-  
 colæ, qui solis herbis, & palmarum fructi-  
 bus victitantes, ad integrum seculum vitam  
 producebant, id ipsum quoque testantur ru-  
 sticani homines, quibus, ut agebat Virgilius,

*Fundit humo facilem victum justissima tellus(a)*

Non sic autem urbanæ gentes, ac præsertim  
 nobiles, & principes Viri, qui quodcunque  
 cupediarum genus elementa per omnia quæ-  
 rentes, graves sibi morbos accersunt, & in  
 medio vitæ stadio in Orci familiam descen-  
 dunt. Rectè quidem in hanc rem Venusinus  
 Poeta

——— *Nam cum simul assis*

*Miscueris elixa, simul conchyliis turdis,*

*Dul-*



*Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tu-  
multum*

*Lenta feret pituita ——— (a)*

Neque sola ciborum varietas morborum  
nutricula est, sed & potus quoque; sic vi-  
na celebriora, variis ex locis conquisita,  
veluti Hispanica, Gallica, Italica, quibus  
in conviviiis se proluunt Proceres, cum Sto-  
machum subierint, non minùs inter se diffi-  
dent, ac tumultuantur, quàm nationes, ac  
populi, unde fuerint advecta. Aqua ipsa, qua  
nullus potus simplicior est, tunc magis com-  
mendatur, cum saporis, odoris, & cujus-  
que peregrinæ qualitatis expers est; sic  
aquam illam ob puritatem suam adeò cele-  
brem, quam M. Agrippa Romam deduxit,  
Virginem appellarunt, quia, referente Pli-  
nio (b) herculaneo rivo in prænestina via se  
commiscere respueret. Sic magnorum flumi-  
num aquas ad potum insalubres esse, litte-  
ris prodidit Magnus Hippocrates [c], siquidem  
cum magna flumina, velut Eridanus, Rhe-  
nus, Ister variis, ac diversis fluminibus in  
unum confluentibus magnitudinem suam ac-  
ceptam referant, non possunt non habere

M 4 aquas

(a) Horat. sermo, lib. 2. Satyr. 2.

[b] Lib. 31. cap. 30.

(c) De aere aquis, locis num. 21.



aquas diffformes , & inæquales , prout variis ex locis varios sapores combiberint ; aquas hujusmodi propterea divinus Præceptor non ineleganti vocabulo *diffidentes* appellavit . At si ad sanitatem fartam rectam servandam adeò conducit cibi , & potus simplicitas , cur ad amissam redimendam feliciorē operam non præstabunt simplicia , quàm composita Remedia ? An si humorum saburram , vel cato , vel ano educere animus sit , desunt in simplicium classe Catarthica , Emetthica , atque etiam Minorativa ( sit verbo venia ) h. e. Medicamenta alvum blandè solventia , quo remedii genere non caruere veteres Medici , qui lenientia syrnesmos appellabant ? [a] An si particulare aliquod Viscus , uti Caput , Stomachum , Hepar , Lienem , Renes , aliasque partes roborare , iisque tonum suum restituere , mens fuerit , è simplicium Regno non suppetunt Cephalica , Stomachica , Hepatica , Splenetica , Nephritica præsidia ? An si de veneno propinato , vel ingenito , sive per ferarum morsus illato agatur ad Theriacam , fatis tutum est confugium , tanquam ad unicum Alexicacon herculeis viribus instructum ad venenum quodcun-

(a) Lang. lib. 1. Epist. 17.



cunque perdomandum, ac potius, si veneni conditio innotuerit, à singularibus, & specificis non quærat auxilium? Absit autem, ut hujus tam celebris præsidii existimationi, & famæ ubique gentium quidquam detractum velim, solum innuere liceat Theriacam, quamvis in illa tot sint congesta alexipharmaca, non esse universale Antidotum, cum satis constet in acri, & rodente veneno noxiam illam esse [a], & longè majora beneficia è simplicibus remediis, uti è lacte, & oleosis substantiis obtineri. Nomine autem simplicium nequaquam intelligi velim ea sola, quæ nobis è vegetabilium familia, sed etiam illa, quæ ex animalium, & mineralium classe abundè suggeruntur, quæ singula recensere nimis longum esset. Sicco tamen pede thermales aquas præterire non licet, quas tam larga vena ubique terrarum Natura profudit, quas inter primas tenent Aponitanæ, tum antiquitatis jure, tum ob divinas, quibus excellunt virtutes, quando Claudianus illas *commune Medentum auxilium, & præsens Numen appellavit* [b], cum omnia penè mala, quæ Artis magisteria eluserint, ad

(a) Vide Valles. in 7. Epidem n. 79.

[b] Claudianus de Balneis aponitanis



ad hæc medicatrices undas , tanquam ad  
 lethea pocula feritatis suæ oblita conquie-  
 scant . Vetus tamen scabies miscendi , ac re-  
 miscendi Medicamenta non finit interdum , ut  
 sacri thermarum latices , quales Natura pro-  
 tulit , ægris potandi exhibeantur , cum ali-  
 quando Thermales aquæ variis è Scatebris ,  
 & diversæ Facultatis eductæ simul commi-  
 sceantur , sive alicujus spiritus , ut vitrioli ,  
 sulphuris , aut alicujus acidi stigmati affu-  
 sione , ut diureticæ fiant , depraventur , co-  
 njectura non prorsus improbanda , quòd hoc  
 pacto conflare possint aquæ stygiæ , & roden-  
 tes . Suppeterent quamplurima alia argu-  
 menta , sed vereor , ne prolixitate nimia fa-  
 vorem vestrum minùs demereri possim ; pau-  
 ca tamen per humanitatem vestram adhuc  
 proferre liceat , ut quod mihi ab initio fuit  
 propositum , planè evincam . Quam diù a pe-  
 ritioribus Artis Magistris insudatum est , ad  
 Febrifugum aliquod conflandum , ex triplici  
 Regno materia petita ? at omnes hæcenus il-  
 lorum labores , frustrante diligentia , in irri-  
 tum cessere , & si aliquod antipyreticum in  
 illorum monumentis extat , non nisi sub gry-  
 pho descriptum legitur , ut Delio natatore  
 opus sit , si mens Auctoris sincera habenda  
 sit



. Solus Peruvianus cortex, nobis à Divi-  
 beneficentia munus concessum, sine alte-  
 rei mixtura in qualibet Regione, quocun-  
 que anni tempore, ætate, sexu, tempera-  
 mento, Febres saltem recurrentes, atque in-  
 vallatas fugat, & exterminat, quamquam  
 non defuerint, qui hieron hoc picron ex  
 labore Vitæ decerptum temerare pertenta-  
 nt Opio; aliisque rebus adjectis, ut solitis  
 angoniis vulgo imponderent. Ex eadem  
 Peruviana Regione postremò ad nos deferri  
 cepit radix quædam Ipecuachana dicta, sin-  
 gulare ac plane divinum Remedium ad flu-  
 idas dysentericos persanandos, quod morbi  
 genus, utpote Epidemicum Urbes, & Agros  
 populatur, ac interdum magnos Exercitus  
 non solum decimavit, sed prorsus delevit.  
 Ad Luem venereum, Monstrum horrendum  
 gens perdomandam, quodnam Guajaco  
 præstantius habemus Remedium? Hoc ligno  
 aqua simplici infuso, ac decocto celticam  
 rem quolibet alio Remedio ferè ineluibili-  
 tem mirificè abstergimus, ac defædatis cor-  
 poribus pristinum nitorem conciliamus. Haud  
 enim nescius, decocto ex Guajaco multa alia  
 admisceri solita, aut id fieri existimo ex  
 ceteri intemperie Medicamenta permiscendi  
 cum



cum ea , quæ hoc ligno incoqui solent , redere quidem possint potionem minùs gratam sed non magis salubrem . Hinc nunquam satis dignè commendandum Antonii Galli consilium , qui cum sua quoque ætate prophari hoc remedium multarum rerum permissione observaret , idque sine stomacho perferre non posset , *Librum de Ligno Sancto non permiscendo* conscripsit . Sicubi ergo multiplici , ac fido experimento medicamentorum quæ simplicia vocant , & quorum tam magnæ est supellex , satis perspecta fuerit Virtus prudentis , ac ingenui Medici erit talia Remedia in curandis ægris illis præferre , quæ nimis studiosè parata varias metamorphoses subierint. (a) Nostri tamen temporibus gratulari licet , quibus multis antiquatis opinionibus valere jussis , analysis potius , quàm synthesis curæ est , & saniori consilio usum esse incipiunt dona incorrupta divinæ Parentis , & artificis Naturæ , quæ sicuti ad lampadem vitalem sustentandam Alimenta nobis liberaliter indulgit , ita ad morbos profligandos Medicamenta abundè suggessit , & propriis manibus concinnavit .

OR A.

(a) *Ledel, Ephem. Germ. Decur. III, Ann. 19.*



# ORATIO NONA

Theoricæ Medicinæ nullum Jus esse,  
ut supra Practicam Domina-  
tum affectet.

*Habita die 5. Novembris MDCCVII.*



Uemadmodum pro civilis so-  
cietatis recto regimine, cujus  
beneficio à ferarum victu dis-  
pescitur humanum genus, va-  
ria instituta fuere Politicæ ge-  
nera, ita ut modò unus, mo-  
do plures simul dominatum exercerent, ita  
to regenda humani corporis Valetudine,  
quæ unicum in terris bonum est, quando  
non est vivere vita, sed valere, idem pa-  
ter evenisse arbitrari licet, A. O. Ab ipsius  
mundi primordiis, cum primo nostro Pa-  
tri post lapsum, ac exinde illius posterita-  
ti infudandum fuit ad victum, sive terram  
exer-



exercendo , sive venando opere pastortio , sibi comparandum , variæque aeris tum æstus , tum frigoris intemperantiæ lubundæ , ac propterea primævum illud virium robur infringi , & infirmari cæptum est , erumpente infesta morborum segete , sola Medicina Practica tutandæ , & reparandæ salutis Jussum , & arbitrium sibi adscivit , & a multa secula non improspere exercuit . Comparata itaque varia remediorum supellectili simplici tamen , utpote è vegetabilium centideprompta ( cum nondum itum esset in Terræ viscera , neque ea , quæ altè Natura recondiderat in apricum fuissent eruta ) primam suam ætatem satis placidè , & feliciter tradidit Ars Medica , tunc temporis Ars verè matura , silente omninò Theorica . Ast ubi mortaliū mentem sciendi æstro insita vi flagrantem rerum naturalium causas investigandi cupiditas , semper tamen laudanda , incessit , tum primū remediorum , quæ salubriora fuerant comperta , quæ sita est ratio , & nascentium in dies morborum attentè observari cœpta indoles , & ingenium . Paulatim igitur Practicæ Medicinæ se comitem addidit , & socias vires junxit Theorica , reverenter tamen circa illam tanquam Parentem se gerens , ratio



em quippe factum, non factum rationi accommodans. Verum temporis progressu, ac potissimum ob raram, & admirandam exacti per seculi felicitatem, propter tot glorio. Inventa majores nido pennas extendens, deò in sublime se evexit, ut comitem suam ultis parasangis post se videatur reliquisse. Hodò igitur sola Theorica admirationi est, la commendatur, ac potissimum excolitur, mque ferè nemo est, sive Philosophus, ve Philomates, qui de humani Corporis ructura, & partium usu, qui de cujusque morbi vel exoticici natura, & indole, qui de remedium potestate, ac illorum in humanis corporibus operandi modo disertè, ac ervosè differere, atque etiam scribere, si elit, non possit, licet medendi usum non teat magis, quàm navigandi modum, qui nauticam ex Libris tantum didicerit. Hæc aque Facultas adeò culta, adeò splendida, t fulgore suo reliquas Artes prægravet, Dictaturam, principatum supra Practicam vietur affectare, ac licet Mundo posterior nata, alteri antiquissimæ, & cujus fortunæ antea elificabat, gubernaculum è manibus jam jam entat eripere, leges, & operandi modum li vel è longinquo præscribens. Mihi igitur  
in



in hoc amplissimo Scientiarum omnium ,  
 Artium Emporio Practicam Medicinam pro-  
 fitenti, æquum visum est coram Vobis tan-  
 quam æquissimis Judicibus hodierna hac me-  
 Oratione causam hanc agere, ac rationibus  
 & exemplis palam facere, non esse Theoricæ  
 Medicinæ Jus ullum, ut supra Practicam de-  
 poticum dominatum sibi deposcat, sed pri-  
 tius optandum, ut ambæ hæ humanæ felic-  
 tatis Præsides ad invicem foederatæ mixtum  
 exerceant ex æquo imperium.

Quàm facilè, ac frequenter ratiocinia na-  
 stra, ut ut ingeniosa, ac penè apodictica na-  
 bis illudant, ac imponant, non paucis exem-  
 plis, cum iis ex rebus, quæ ad naturalis  
 scientias, tum quæ ad Civilem prudentiam  
 spectant, demonstrare possem si vellem. Quod  
 precor, in Philosophorum Scholis majori pla-  
 cuit exceptum, & constantius retentum, quàm  
 simplicium corporum, ex quorum mutuo con-  
 plexu omnia primò conflentur, & in quibus  
 omnia demum solvantur, excogitatus ille  
 quaternio, ex eo deductus, quòd duo sunt  
 corpora, quæ ex sua gravitate descendunt  
 veluti Terra, & Aqua, alia duo, quæ ex in-  
 sita levitate sursum petant uti Aer, & Ignis  
 Ast hujusmodi doctrina de Elementorum nu-  
 me-



mero de credita quorundam corporum levitate apud Eruditos modò quid inanius, quid levius? Omnia corpora, quaecunque ea sint, à propria gravitate deorsum ferri, & urgeri, nihil autem fursum, nisi ab aliena vi effferri extra omnem dubitationis aleam existit.

*Ne tibi dent, timeo, flammarum corpora fraudem;*

*Nec cum subsiliunt ignes ad tecta domorum,  
Sponte sua facere id sine vi subigente putandum est. (a)*

Sic olim quoque Lucretius de rerum natura; quot Mundi Systemata humanæ mentes hætenus cudere, quæ fidem, & suos Cultores promerita sunt? Nisi sacrorum Voluminum auctoritas piorum mentem inter obsequii repagula coerceret, pauci forsan essent, qui in eam non irent sententiam, quæ statuit Terram, cui insistimus, assidua rapi vertigine, Solem autem in Mundi centro regia majestate immotum stare: adeò benè omnibus phænomenis in hoc Systemate respondet Planetarum Theorica. Porro quam sæpè in rebus tum publicis, tum privatis, nos fallant nostra consilia ad prudentiæ libramentum licet expensa, Veterum monu-

*Tomus IV.*

N

men-



menta, & quotidiani casus abundè loquuntur. Satis sit in hanc rem dictum illud Bruti, qui post Cæsaris necem pro afferenda Patriæ libertate patrata, cum omnia benè consulta male cessisse adverteret, ferrum manu stringens, quo sibi mortem conscisceret, exclamasse fertur. *O misera Virtus! ergo fabula eras, seu verba, & ego te uti rem colebam, & exercebam, verùm fortunæ serviebas.* [a]

Haud aliter in Arte Medica, Arte, si qua ulla est, planè conjecturali, ut in qua non secus ac in militari, & navigatoria solet fortuna ludere, passim contingere videmus; non rarò quippe evenit, ut ea, quæ ad morbum aliquem oppugnandum ritè, & ad medicas leges fuerant sancita, ut neque Hippocrates ipse potuisset meliùs, in ipso conflictu eventum fortiantur adeo improspere, ut suscepta consilia, si non apertè, tacitè saltem damnare necesse sit, & contrariam prorsus inceptæ curationi viam inire, exemplo Antonii Musæ, qui Augustum graviter laborantem contraria Medicina restituit [b]: Habet equidem ea Medicinæ pars, quæ Theorica dicitur, speciosa theoremata, &

(a) *Dionys. Halica. L. 47.*

[b] *Plin. Lib. 29. H N. cap. 1.*



& universalia quædam effata, quorum merito scientiarum coetui videatur posse accenseri, ast ubi ad tecmarfim, & curandos particulatim morbos velit descendere, non pauca illi obviam fient impedimenta, adeo ut persæpè re ipsa præstare nequeat, quæ fidenter, & magnificè nimis sponderat. Regionum, & locorum diversitas, varium, & multiforme alimentorum genus quibus non tam ad necessitatem, quàm ad voluptuosam vitam utuntur homines, particulares in quibusdam Idiosyncrasie, Epidemicæ quædam morborum constitutiones, identidem recurrentes, aliæque abditiores causæ, peritiores Medicos persæpè compellunt, ut elegantioribus ratiociniis nuncio remisso, sive fortunæ arbitrio, sive Naturæ nutibus cæco quodam modo auscultent, & morem gerant. Si popularis aliqua constitutio, uti febrium, pleuritidum, alui fluxuum, aliorumque id genus affectuum vagari incipiat, quàm cautum, quàm circumspectum oportet esse Medicum! etenim, si quidquam sapiat, suspenso pede procedet, nec tam facile, ut in morbis sporadicis ad magna remedia administranda descendet, nisi prius atentè observarit, quo tenore natura proce-



dat in iis curandis, quos sua fors non pere-  
merit; novit quippe ea remedia, uti phle-  
botomiam, purgationes, febrifuga, aliaque  
id genus, quæ in una Constitutione contu-  
lerint, in altera licet simili, & in eodem  
specie affectu Aegros jugulasse. Eos pro-  
pterea, quibus in hujusmodi Constitutionum  
principio ægrotare contigerit, sub infausto  
sydere natos vocare liceat, quorum peri-  
culo nimirum perdiscant Clinici, qualem po-  
stea in cæteris curationem instituant. Non  
ideò tamen is censerì velim, qui putem, ra-  
tione neglecta, ab Eventu solummodo no-  
tanda esse facta, careat enim successibus, qui  
ita sentiat, [a] fit Eventus, uti apud Livium age-  
bat Q. Fabius Maximus, skultorum magister,  
si ratio constans, & immutabilis sit, ubi  
tamen de corio humano agitur, & ratio ve-  
ri specimen aliquod tantummodo habeat,  
Eventum, & Experientiam, quæ Artem fe-  
cit præferendam crediderim. In a longis qui-  
dem morbis, quos tempus ut facit, ita &  
solvit, (b) si omnia secundum rationem facienti non  
succeedat, secundum rationem non statim con-  
demnetur, si quid non statim profuit; in acu-  
tis

(a) Lib. 22. (b) Vide Heurnium l. 2. Apho. 52.  
Celsus lib. 3. cap. 1.



*tis autem morbis cito mutetur, quod non profuit ;  
liceatque experiri aliud , atque aliud .*

Novus aliquis morbus , uti aliquando evenisse legimus , caput efferat , quales turbæ excitantur , quàm gravibus logomachiis inter se dimicant celebriores Artis Antesignani ; ut morbi non antea visi , neque apud Veterum quemquam adumbrati , indolem rimentur , & rationalem medendi modum statuunt , quod ferè tamen non assequuntur , nisi postquam Practica Medicina , aut casu , aut analogismo proprium , & singulare remedium repererit , ac evulgarit . Jam duo secula effluxere , ex quo Gallicus morbus , Italiam primò in Neapolitano Regno , mox totam Europam dira contagione pervasit , & adhuc infestat , licet tandem mitior factus , multum ferociæ , & insolentiæ suæ dimiserit ; si monumenta Scriptorum evolvamus , qui hujusce morbi historiam , & curandi modum tunc temporis tradidere , quæ somnia , quàm ineptas disceptationes in iis deprehendemus ! Profectò in quibusdam illorum versandis vix risum , in quibusdam vix somnum tenere me fateor . In hanc rem id unum sufficiat , valde plausibilem fuisse illorum sententiam , qui crederent , Gallicam luem nil aliud esse ,



quam calidam, & siccam Jecoris intemperiem, ex contrariorum regula facile expugnandam. Simplex autem Guajaci in aqua decoctio non minus ad Theorias omnes, quas de hoc morbo veteres confinxerant, prorsus abolendas valuit, quàm ad Celticam labem eluendam.

Non abfimili ratione Peruvianus Cortex, celebre illud Febrifugum, cujus nostra hac ætate tam frequens, nisi forsan nimius, & impudens est usus, nondum medullitus febris naturam nos attigisse palam fecit, cum sat vicium habuerit, ut omnium Antiquorum de natura Febris Systemata è suo gradu deiceret, & Recentiorum quoque Ideas omnes, quæ de hoc affectu hætenus prodire, non parum dubias reddiderit, adeò ut inter ea, quæ adhuc desiderantur, non immeritò referri possit, scire, quid verè sit Febris. Sic Indorum Practica Medicina particularibus suis remediis suppetias indigentis nostris identidem ferens Europæorum Theoricam exercet, & fatigat.

Nolim tamen, quis putet; velle me iniquo animo Theoricam, tanquam rem inanem, & nullius usus hoc pacto traducere: illam enim

(a) Hac de re vide Bertinum in Defensione Medicinæ



enim semper maximi feci , & faciam , quā nimirum si careret Ars Medica , manca esset , & imperfecta , sed ea tantum mihi mens est , ut ostendam non esse illi , unde tantum se effe-  
ferat , ut supra Practicam dominatum sibi deberi existimet , & illi præire velit , cujus vestigia olim pressit ,

*Ut rota posterior currens, & in axe secundo; [a]*  
etenim longè diversum est ratiocinari , ac operari , atque aliud est , Ægrum videre in lecto jacentem , aliud in libro descriptum ; Vena tangenda est , atque observandæ magnæ illæ morborum tempestates , & insul-  
tum reciprocationes , quibus in suis lectulis tanquam in Euripo Ægri jactantur . Frequentibus Exstispiciis insignium Professorum exemplo in corporibus recens denatis , & adhuc calentibus lustranda sunt Viscera , & partium nervolarum fibrillæ , & capillamenta exploranda hac ratione divinando , non res futuras , ut olim Haruspices , sed quænam fuerit morbi non sat benè cogniti , & subitæ , vel non prænuntiatae mortis vera , & germana causa (b) . Verus itaque Practicus totus operosus est , & mente , & manu Naturæ li-

N 4                      brum

(a) *Perfius Sat. 5.*

[b] *Jo. M. Lancif. Archiater Pontificius de mortibus subitaneis.*



brum consulens, & evolvens, ut exinde magis ad agendum, quàm ad dicendum instructior, & paratior esse valeat, Exultet in ditione sua, quantum lubet Theorica, sibi plaudat, & vires suas ostendet, at in Practicæ fines transgressa sibi temperet, & magna semper efflandi tumore omisso, agnoscat, qualis in ea provincia hospes illa sit, & quanto temporis impendio constet fidelis, & solidæ Præxis acquisitio. Quis autem, modò literarum studiis fuerit instructus, ac puriorem Philosophiam hauserit, nostra hac ætate, qua omnia complanata sunt, ac ad Scientias omnes facilis patet aditus, quis, inquam, sola selectiorum Scriptorum lectione in bonum Theoricum exiguo tempore, si velit, emergere non possit, quamvis Lycei fores nunquam salutarit, & neminem è subselliis declamantem audierit? Seponat ergo secreta sua studia is, qui soli Theoricæ se totum mancipavit, & Libris dies, noctesq; impallescent vitam lucernariam degit, scire affectâs quidquid tùm Veteres, tùm novi Scriptores dixerint (quando persæpè nostrum scire nihil aliud est, quàm scire, quid unus, & alter dixerit) seponat inquam libros, & Medicæ Praxi se addicat, Nosocomia adeat, viciatim Ægros invisendo,

uti



iti mos est Clinicis , discurrere incipiat ;  
 qualis Tyro apud ægros , & Assidentes appa-  
 rebit præceptis , ac documentis Scriptorum  
 icèt instructus , & saginatus ? Stupens nimi-  
 um , ac attonitus , ceu ineptus Artifex , suo  
 iudicio quasi Sorex se prodet . Idem prope-  
 modum in experto Medico in aggrediendis  
 morborum curationibus accidere crediderim ,  
 ac olîm Declamatoribus in agendis causis .  
 Illi etenim , qui privatis in locis declamare  
 consueverant , doctè licet , ac disertè Con-  
 troversias ad lubitum sibi fingendo , ubi pri-  
 vum Forum ingrederentur , alicujus causæ  
 atrocitatem susceperunt , conspectu loci , &  
 iudicum interdum ita perterrebantur , ut il-  
 los ex improvviso sua Eloquentia desereret ,  
 & Clientes potius , quàm Patroni censeretur  
 possent . *Proprius est Fori profectus* , ajebat olîm  
 Oratoriæ facultatis magnus Institutor , (a) *alia*  
*lux* , *alia veri discriminis facies* , *plusque si se-*  
*ntes* , *usus sine doctrina* , quàm *citra usum*  
*doctrina valeat* ; Ideoque nonnulli senes in Scho-  
 la facti stupent novitate , cum in judicia vene-  
 unt . Quod igitur in judiciario Foro olîm  
 observari consueverat , illud ipsum in Foro  
 quoque Medico contingere videmus , ubi  
 quis

(a) Quint. Instit. Orat. l. 2. Cap 7.



quis manus nondum medicas admove-  
velit ad venas tentandas, & pharmaca præ-  
scribenda.

Fasces ergo ad Ægrotantium lectulos sub-  
mittat necellum est, doctus licet, & erudi-  
tus Theoricus, atque is præfertim, qui recens  
ab Academia venerit, & paulò ante laurea-  
tus de gravioribus morbis facilem victoriam  
sibi spoponderit. Non satis est enim celebriora  
Hippocratis, Celsi, aliorumque Medicina  
Procerum documenta in numerato, ut dici  
solet habere, ut certò quis proferre possit  
qualis sit morbi, quem suscepit conditio, &  
ingenium, ubi nam cubet, cui parti exitium  
minitetur, qualem eventum sit habiturus, &  
quibus præsidiis tentanda sit oppugnatio: Pul-  
chrum quidem esset scire etiam, quæ ad me-  
dicam eruditionem spectant, sed quemadmo-  
dum perito Nautæ indecorum non est, Marin-  
fluxus, & refluxus causam nescire, dummo-  
do non ignoret, ubi syrtes, & scopuli lateant  
& quomodò portum occupare oporteat; ita  
bono Practico nequaquam vitio vertendum  
si quædam ignoret, quæ ad elegantiam, po-  
tiusquam ad ægrotantium salutem spectant.

(a) *Similitudines parere errores etiam bonis Medicis*

pro-



pronunciavit olim Magnus Artis Præceptor, quod utiq; verum est, cum non rarò contingat, ut diversi omninò specie Affectus iisdem signis, & Syptomatibus stipari soleant, ut Colica, Nephriticis, Galeno teste [a], qui ingenua confessione se deceptum fuisse scripsit, dum putaret se Renum dolore laborare, ac postea Colica passione se mulctatum fuisse deprehendit; Ast huiusmodi Præceptoris dictum longè verius est in Theorico, quàm in Practico, non ita etenim bonus, & expertus Practicus, quàm facile sit decipi, & quam difficile sit Judicium, immò quam periculosum Artis, & Artificis honori de morbi natura Judicium asseveranter proferre, atque illud propalam facere. At si hæc veri specimen aliquod præferant, quanam ratione, quo titulo unquam Theorica primatum in Arte sibi deposcat? an quia consilio, & documentis multum lucis Practicæ foenerebuntur, ac illi quodammodo facem præferat, ne respitet, ne à recta semita deflectat? Ast faciem præferre ministerium est non ejus, qui dominetur, & imperet, sed qui serviat. Multum quidem Theoricæ debet Practica, quis inficiari ausit? etenim benefacta malignè delectare nefas esset, si tamen dati, & accepti

(a) 2. de loc. affect. cap. 5.



pti ineunda sit ratio, in certo erit, quænam alteri plus debeat. Id tamen certum est bono Practico longè plus Ægrum debere, quam bono Theorico; cum enim, qui magis cum Ægris, quàm cum sanis hominibus ævum traduxerit, non tam facile fallent morborum sub lava latentium monstruosæ facies, neque erroribus, tum in judicando, tum medendo innoxius erit obnoxius, ut his, qui legendo, scribendo, & declamando consenuerit. Fidem autem meis is dictis promereri mihi non videretur nisi alicujus exempli appositione rem certam facerem. Ab humanitate vestra itaque, Ornatißimi Domini, impetrare liceat, ut in hanc rem historiam oppidò curiosam, & memoratu dignam referam.

[a] Venetiis Anno septuagesimo sexto, super sesquimillesimum non adspernanda pestilentia signa ex improvviso se prodidere, cujus rei novitate Primorum Ordinibus, & tota Civitate perculsa publicæ salutis custodiæ singulari diligentia invigilari cœptum. Verùm cum ob frequentiora in dies funera rumor hujusmodi percrebresceret, ac magnæ inter Medicos, uti mos est, obortæ fuissent circa morbi

(a) *Antonius Ricobonus in Gymnasio Patav. L. Quinto Cap. Quinto.*



bi Naturam contentiones, aliis pestilentem  
 morbum esse negantibus, aliis verò reclaman-  
 tibus diram, & exitialem pestem esse, non  
 multò post stragem ingentem edituram; id-  
 circò inter hæc discrimina, & Medentium in  
 re tam gravi disceptationes, ut decerneretur,  
 qualis esset revera grassantis morbi conditio,  
 publico decreto Venetias acciti Hieronymus  
 Mercurialis, & Hieronymus Capivaccius,  
 Patavini Lycei duo tunc temporis clarissima  
 lumina. Splendido itaque comitatu Venetias  
 profecti sunt hi celeberrimi Viri, neque mi-  
 nori expectatione ab universa Civitate exce-  
 pti fuere, ac olì magnus Hippocrates ab  
 Abderitis ad curandum Democritum evoca-  
 tus. Munus ergo suum adorti vagante morbo  
 ad severum examen juxta normam medicarum  
 regum adducto, ac signis omnibus pestis, tum  
 prophænenis, tum epiphænenis, ritè  
 pensatis, nec non partium inter se dissiden-  
 tium rationibus utrinque auditis, ad Excel-  
 sum Collegium perducti, coram Serenissimo  
 Principe sententiam suam tulere nequaquam  
 pestilentem esse, eamquæ vagabatur Epide-  
 miæ, ac liberè professi sunt, se suis metho-  
 dis, ac præfidiis morbum hujusmodi curatu-  
 ros. Ad tam favorabilem sententiam pronis



auribus exceptam, & palam factam magna  
 anxietate, & metu illicò soluta est Civitas  
 quæ in summum gaudium effusa Soteres suos  
 ad Coelum usque efferebat. Verùm intra pau-  
 cos dies miserè pessum ivit malè concepta læ-  
 titia, etenim cum à solita diligentia lue in-  
 fectos ad remotiora loca adsportandi defitum  
 esset, exitialis ille morbus à Judicibus tanta  
 auctoritatis tanquam insons absolutus major  
 securitate in vulgus sævire cœpit, adeò ut  
 anni unius spatio centum ferè hominum milli  
 in Orci familia demiserit; perhumaniter ta-  
 men erga suos Judices se gessit pestilens ill-  
 morbus, illis enim pepercit, ac indulgit, u-  
 sospites, comitatu suo tamen, magna ex par-  
 te orbati, Patavium redirent; sic

*Quæsitæ nocuere Artes, cessere Magistri,  
 Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melam-  
 pus (a)*

ut olim Virgilius de Medicis in pestilent  
 quadam constitutione. talem habuit exitum  
 tantorum Virorum, tam magnifica, tam so-  
 lennis ad Venetam Urbem profectio.

Absit autem, ut hujusmodi narratione, tan-  
 insignium Professorum famæ, & existimation-  
 quidquam detractum velim, perennis enim  
 erit



rit illorum gloria, & nomen, donec inter  
mortales vigeat Ars Medica, & Lyceum hoc  
abit Æternitati sacrum, sed solum mihi ani-  
mus fuit, ut Clariss. Virorum exemplo,  
qui in Theoricis magis claruere, quàm in  
practicis, & quorum methodi habebantur  
pro Secretis, propositum meum firmiùs statu-  
minarem.

Cum ergo satis superque, nisi me fallit phi-  
lucia, fuerit demonstratum, nullum jus Theo-  
ricæ legitimum esse, ut supra Practicam do-  
minatum ullum obtineat, nihil optabiliùs fo-  
ret, nihil ad publicum bonum magis condu-  
cibile, quàm ut hæ binæ Valetudinis Rectri-  
ces, simultatibus sepositis, sincerum inter  
inirent foedus, & sociale ex æquo regimen  
exercerent. Multò magis quidem optandum  
pret, ut idem esset, bonus Theoricus, &  
bonus Practicus, sed paucis hoc datum est,  
ut iis tantum

——— quos æquus amavit

Jupiter, aut ardens evexit ad atbera  
Virtus.

habuere tamen singulæ Ætates hujusce ordi-  
nis Professores, habet etiam præsens hæc  
etas, & nostrum hoc Lyceum. Summa itaq;  
notorum sit, ut ambæ hæ Facultates, qui-  
bus



bus Ars constat, & perficitur, Consilio, &  
 opere, Præceptis & Experimentis ita ad in-  
 vicem consentiant, ut non duorum, se-  
 minus tantum videatur imperium.





# ORATIO DECIMA

De Medicina ex Sacris literis  
eruenta

*Habita die 6. Novembris MDCCVIII.*



Uemadmodum in hac humana  
societate nemo ferè est, qui  
amicum, aut quempiam alium  
de aliqua ægritudine conque-  
rentem audiens, remedium  
aliquod ad manus promptum,  
& paratu facile, non habeat illi proponen-  
dum, ut à molestia, qua premitur, quam ci-  
ssimè se expediat; ita ferme Scriptorem  
nullum reperire est, cui volupe non sit  
Scriptis suis de medica supellectile interfe-  
rere, sive ut iis, quæ tractet, pondus aliquod,  
sive ut elegantiam, & decus adsciscat. Si  
eveluantur ea, quæ de Philosophia, & na-  
turali Historia extant, volumina, si quæ de

*Tomus IV.*

O

Ethi-



Ethica, & Politico Regimine literis prodita  
 fuere; si ad Poësim tum græcam, tum lati-  
 nam divertamus, passim occurrent celebri-  
 ora Medicinæ Procerum effata, quæ inibi li-  
 cet sparsa, & tralatitia magis emicent, &  
 legentium animos altius subeant, quàm in  
 propria ditione, & suis in locis disposita,  
 & collecta.

Veteres Philosophi, & naturalis Historiæ  
 Scriptores, si eam Medicinæ partem, quam  
 Clinicam vocant, non excoluere, studuisse  
 tamen, ut Artis abdita, & mysteria penetra-  
 rent, ex illorum monumentis satis liquet,  
 imò quosdam ex iis in dissecandis animalium  
 corporibus manus suas cruentare non dedi-  
 gnatos, veluti de Democrito scriptum legi-  
 mus. Homerum omnigenis Doctrinæ promo-  
 condum complura ad Pharmaceuticam, &  
 Chirurgiam spectantia Iliadi suæ affinxisse,  
 dum castrenses Medicos Podalirium, & Ma-  
 chaonem induceret hominibus, & ipsis etiam  
 Diis medentes, sicubi vulnus aliquod susce-  
 pissent, dum pro partium studio mediis con-  
 flictibus sese immiscerent, polimathiæ studio-  
 sis res satis cognita est, sicuti eundem Ho-  
 merum in describendis Ulyssis erroribus va-  
 rias admirandæ virtutis Plantas memorasse,  
 quæ



quæ celebriores nostræ quoque ætatis Botanices exercent, ut nondum decerni potuerit, quæ, & quales revera sint homericæ illæ Plantæ. Idem quoque factitasse Latinos Poetas, & à bicipiti Parnasso ad Medicinæ fontes quandoque descendisse, & largiter potasse norunt Literati omnes, & celebriores quoque Medici, quos tantum abest, ut pudeat ab Exedris, in Consultationibus, in suis Operibus insignioris alicujus Poetæ auctoritatem efferre, ut potius rebus suis præsidium, & Decus hoc pacto adiici posse existimet. Utinam cuncta, quæ apud veteres Poetas de re Medica leguntur scripta, sicuti è suis Interpretibus ob ignoratam Medicinam non satis rectè fuerunt disposita, ita Medica Interpretatione ab aliquo erudito Professore proprio, & nativo suo nitore fuissent restituta, qualem sortem solus, quod sciam, Martialis obtinuit. (a) Quot porrò è Sacris Voluminibus egregia documenta, neque suspectæ fidei, qualia sunt, quæ ab Ethnicorum monumentis habemus; sed fida, & sincera Medicæ Artis cultoribus suppetunt, si quis rectè advertat, & hujusmodi Librorum lectione oblectetur. Sacra quidem Vo-

(a) *Cæsar Zarotus de Med. Mart. Interpr.*



lumina potissimum pietatis, & religionis sunt fundamentum, atque ad id præcipuus est illorum usus, attamen tantæ sunt excellentiæ, ac foecunditatis, ut in iis coelestis quædam panspermia contineatur, adeò ut nemo ad illa perlustranda accedat, quin in ea, quam proficitur, facultate doctior, & instructior abeat. Labet itaque, A. O., hodierna hac mea Oratione Medicinam Sacram ex Veteri, & Novo Testamento Vobis exhibere, selectiora nempe Sacrorum Codicum loca annotando, seu potius delibando, cum non possit molimen huiusmodi unica Oratione satis dignè, uti par esset, absolvi.

Medicinam amplissimum Divinæ Beneficentiæ Donum esse mortalitati nostræ concessum ad sanitatem, quantum licet, integram servandam, seu infractam refarciendam, ex sacrarum Literarum testimonio satis liquere existimo. *Medicinam de terra creavit Altissimus, & Vir prudens non abhorrebit illam, [a]* sic olim omnium Sapientissimus Salomon, sive quisquis fuit, qui effatum istud protulit. Neque Medicinæ osores, quorum non paucos habuit semper ætas quælibet, de spiritali Medicina, nequaquam verò de naturali

(a) Ecclesiast. cap. 38.



ali dictum hujusmodi intelligendum velint, satis enim apertè ex Sacri Textus verbis apparet, creasse Deum Medicinam de Terra, herbis scilicet, plantis, fossilibus, & aliis medicas vires ad morbos fugandos indidisse. A primo itaque Parente nostro, cui Summus ille Opifex Scientias omnes inditas, non studio comparatas esse voluit, propria, & vera malorum remedia, rectumque illorum usum ad posteros, veluti per traducem, dimansisse credendum est, sicque Medicinam per manus traditam in primæva sua simplicitate, ut potè è plantis præcipuè petitam diu perstitisse, donec post longum seculorum fluxum reperto literarum usu, membranis, & papyris mandari coëpta est, & in Artis quæstuariæ formam traduci, qualis nunc est, eritque semper, ubi lucris spes affulserit, cuius odor tam bonus è re qualibet; ut ait Poeta, ducitur. Fateri quidem licet ab Ethnorum monumentis, & præcipuè Coi senis, quem ajunt è tabellis ad Æsculapii Templum in Epidauro appensis didicisse, quomodo, quibusve remediis quisque morbus sanari posset, ac postea Templo succenso Commentaria sua edidisse) fateri, inquam, licet, habere nos à Medicinæ Parentibus ele-



gantissima Theoremata, & præceptiones ad Medicinam, humanis viribus quantum licet, exercendam. Si tamen in perscrutandis Sacris Voluminibus studium aliquod adhibeatur; egregia documenta, imò Oracula emergent, quæ Medicum pariter doctum, & pium efficiant.

Ut autem ordine aliquo, & ad normam partium quibus juxta morem Scholarum Ars constat, procedamus, satis amplam ex Geneseos Libris habemus physiologicam doctrinam de humani corporis principiis, structura, & illius facultatibus. *Formavit Deus Hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est Homo in Animam viventem (a).* Cum ergo ex limo terræ formatus sit Homo, ex Elementis Terra, scilicet Aqua, Aereis, & Ignis particulis conflatum fuisse constat, & optimo temperamento ad justitiam donatum, & pondus quoque si lubet, quando Summus ille Artifex omnia fecit *in pondere, numero, & mensura.*

Neque putare licet, primum illud Homini simulacrum eo modo compactum fuisse, quod Plastes aliquis ex simplici massa Argillæ, statuat

tuam



tuam aliquam ad speciem externam solummodo intentus conficeret, Divinum enim illum Artificem principalia viscera, Cor, Cerebrum, Sensuum Organa, aliasque internas partes ex apta, & convenienti materia, prout partium temperies, & officium exigerent, prius condidisse, suisque in locis statuuisse credendum, deinde Operi perfecto Cutem, tanquam commune integumentum circumduxisse, unde Job in sui Corporis Dissolutione, & tabescentia exclamabat: *Manus tua fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, pelle, & carnibus vestisti me.* Sic Regius quoque Vates in corporis sui fabrica Summi Conditoris Sapientiam admirans, agebat. *Confitebor Tibi Domine, quoniam mirabiliter formasti me.*

Absolutissimi autem Operis, quod Divinus Plastes perficere intendebat, sit argumentum, quod Mundum prius fabrefecerit tanquam Archetypum, ut exinde Hominem conformaret, contraria prorsus ratione, qua Architectonices periti, qui cum grande aliquid, veluti Basilicam, Theatrum, aut Regias Aedes moliri volunt, parvum exemplar sibi prius construunt, ad quod oculos, & mentem intendant, in opere perficiundo, quod mente conceperant. Divini autem Ar-



rificis est, magnum in parvo clausisse, unde est, quod admirationis multò plus exigant tenuia Insectorum corpuscula, quam immensa corpora Balenarum. Opus itaque plene Divinum humanum est corpus, in quo non secus ac in Automate *pulchriora latent*, quæ si quandoque in conspectum veniant, infinitam Auctoris sui sapientiam muto eloquio deprædicant. In hujus modi autem fictili opificio, sed summæ subtilitatis, & structuræ placitum Deo immortalis Animæ Thesaurum recondere, in primi illius hominis faciem *Divinæ particulam Auræ* insutlando, unde Philon, quem Judæorum Platonem vocant non male inferebat, Deum sedem Animæ in Capite posuisse, ubi præcipua sunt sensuum organa, ac nervorum, & spinalis medullæ origo, quam sub funiculi argentei symbolo nobis adumbravit Ecclesiastes, elegantifane vocabulo. Quid enim aliud Nervi è Cerebro prodeuntes, quàm argenteas chordas ad varias corporis partes protensas referunt, unde tot admirandarum operationum tam suavis harmonia confurgit.

Ad lampadem porrò vitalem sustentandam, & singularum partium alimoniam idem Summus Artifex nectar vivificum Homini imper-  
tuit,



iit, cruorem scilicet, qui per suos Ductus  
 continuò flueret, ac universum corpus per-  
 ustraret, cujus liquoris quanta sit dignitas,  
 ex antiquæ Legis edicto satis constat, quo  
 Judæis veritum erat, ne sanguis anima-  
 ium in escam cederet: *Cave, ne sangui-  
 nem comedas, sanguis enim pro Anima eorum est.*  
 Hinc erui potest, quàm longè à vero aberr-  
 ent, qui sanguinem in partium numero re-  
 censendum nolebant, pars enim corporis po-  
 tissima, & primarium Animæ instrumentum  
 est sanguis, cujus thesauri tam facilis, ac  
 temeraria interdum est profusio; de perenni  
 verò sanguinis in orbem motu, quem Medi-  
 ci passim deprædicant, ut nihil magis, quo  
 scilicet perdurante perstat vita, & quo sub-  
 lato temporis momento corrui, non ad sper-  
 andæ extant in Sacris Paginis conjecturæ, (a)  
 ac præsertim apud Ecclesiastem, ubi sangui-  
 nis circumrotatio adumbratur. *Quoniam ibit  
 Homo in domum aternitatis suæ antequam rum-  
 patur funiculus argenteus; & frangetur vita  
 aurea & confringatur rota (b).* Humani cor-  
 poris itaque structura folius Divinæ Sapientiæ  
 est magisterium, nec solum in Mundi exor-  
 dio,

(a) Cap. 13. (b) Vide Ioan. Smicht in Synopsi Criti. Pol. T. 2.  
 & Ioan. de Mural. in Clar. Med.



dio ; cum primum ex terræ limo conflatus  
 est Homo, sed hujusmodi est, eritque semper  
 in continua, & successiva hominum procrea-  
 tione, divino illo Opifice *usquemodo operante*.  
 Neque hic in scenam advocatur Natura  
 quam Medici, & Philosophi tanquam idolum  
 sibi confinxere, ac tantopere admirantur  
 ubi res non satis intelligunt, purum enim  
 & purum nomen est, nullumque vocabulum  
 extat Deo magis injuriosum; nullam vocem  
 hebraicam propterea in Sacris Codicibus re-  
 perire est, quam quis pro natura interpretari  
 possit, cum omnia ad solum Deum in omni-  
 bus semper operantem, & omnia conservan-  
 tem referantur, nisi pro natura Deum ipsum  
 intelligendum velint. O quam egregiè in  
 hanc rem Seneca, *Eum naturam dicis, non*  
*intelligis te nomen mutare Deo?*

Ad valetudinem verò tuendam, quæ bona  
 partium ab initio constitutionis, & justæ ad in-  
 vicem habitudinis fructus jucundissimus est, sa-  
 luberrima documenta è sacris Literis, ut potis-  
 simum ab Ecclesiastico passim occurrunt, ut  
 quæ apud Hippocratem, Galenum, Cel-  
 sum, aliosque, in hanc rem leguntur scri-  
 pta (a). *In multis escis est aviditas, & appropin-*

*qua-*

(a) *Ecclesiastes cap. 37.*



quabit usque, ad choleram, qui autem abstinens  
 est, adiciet vitam. In omnibus operibus esto ve-  
 rox, & omnis infirmitas non occurrat tibi.  
 Nonne id ipsum videtur, quod scripsit Hip-  
 pocrates (a), studium sanitatis esse non satiari  
 cibis, neque impigrum esse ad laborem. In re-  
 cta etenim ratione victus, & moderata cor-  
 poris exercitatione, ut inter utraque extre-  
 ma non sit unius super alterum insignis ex-  
 cessus, ex ejusdem Hippocratis sententia si-  
 ta est sanitas. Siquidem cum victus ratio, &  
 corporis exercitatio contrarias habeant vires,  
 ut una impleat, altera extenuet, justa inter  
 ipsas commoderatio, & possibilis æqualitas  
 bonæ valetudinis erit fundamentum, & basis.  
 Cum autem in hac humana societate, nisi  
 quis rusticitatem professus à civili vita ab-  
 dicare se velit, non semper liceat tam exa-  
 ctum servare vivendi modum, & ad libellam,  
 ut dici solet, cibum capere, ut aliquando  
 post longam abstinentioniam, in conviviis ali-  
 qua non sit à justa moderatione exorbitatio,  
 ne à sanitatis statu in ægritudinem corpus  
 decidat, [b] ab Ecclesiastico tanquam singulare  
 præservativum prompta laudatur vomitio.

*Etsi*

(a) 3. de Dieta.

[b] Cap. 31.



*Etsi coactus fueris in edendo multum, surge & medio, & evome, & refrigerabit te, & non abduces corpori tuo infirmitatem.* Frequenter vomitum ciere ad sanitatis tutelam Veteribus solenne fuit, eoque magis ubi in Coenis suis opiparis, & collatitiis, ad mediam usque noctem protractis, nimio cibo, ac potu aqualiculum onerassent, quod nostra ætate familiare est, nisi sponte prodeat vomitus, ubi sola abstinentia, & somnus pro crepalæ remedio esse consueverunt, cum tamen consultius sit, si plus fuerit assumptum, quam quod concoqui possit, id, qua via primum expelli queat, ejicere, commodior autem, & expeditior per superiora, quàm per longas intestinorum ambages, erit via. Sic Avicennas Arabum princeps quovis mense duobus continuis diebus vomitum laudabat, quod ab Ægyptiis forsitan didicerat, qui putantes morbos ferè omnes à ciborum copia ortum ducere, singulis tribus mensibus ventriculum à cruda esculentorum saburra vomitu exonerabant.

Non exigua quoque pathologicæ doctrinæ seges se se offert, ad varias morborum naturas, & differenrias dies noscendas. Pro cunctis tamen sufficiat sola Pforæ, & Lepræ consideratio, non multum immorabor, ut re-  
fe-



eram, quam grave munus ex Legis præcepto  
 Sacerdotibus, [a] apud quos Medicina asser-  
 vabatur tanquam res sacra, incumberet, si-  
 gna cuncta diagnostica, prognostica, pato-  
 gnomonica expendendi, ut ut Lepram, & Pso-  
 ram a reliquis affectibus cutaneis dispecerent,  
 & varios ejusdem gradus, ac differentias, ex  
 mutato cutis, pilorumque colore perspectas  
 haberent, & ad quot dies seclusas à reliquo-  
 rum consortio detinerent, quos hujusce labis  
 suspectos habebant, & quando sola suffice-  
 rent lavacra, ut pro mundis haberentur, an-  
 tequam decernerent, num quis verè immu-  
 nus esset, & extra Urbem, vel Castra di-  
 mittendus, cuique enim perfacile est, Sacrum  
 Textum adire, qui Lex Lepræ dicitur, ac  
 advertere, quàm accuratum, quàm circum-  
 spectum examen de hoc morbo soleret in-  
 titui.

Verùm à Theoriis ad Praxim, & particula-  
 res morborum curationes, quas in veteri  
 Testamento habemus descriptas, non quidem  
 sine mysterio, & ope Divina, hoc enim diffite-  
 ri impium, nedum temerarium esset, reme-  
 diis tamen naturalibus peractas, qualia tales  
 morbi à bono Medico exigent, si lubet, de-  
 scriben.

[a] *Levis. cap. 13.*



scendamus . Memoratu sanè digna est cura-  
 tio , qua Eliseus Propheta simul , & Medicus  
 Principem militiæ apud Syriæ Regem Na-  
 man gravi Lepra laborantem sanavit , cui  
 ad tam diram labem evertendam ab Aulæ Ar-  
 chiatris nihil opis Vir ille impetrare potuisset  
 à puella hæbrea , quam servam domi habe-  
 bat, rescivit , Prophetam in Samaria esse De-  
 percarum , qui morbos quoscumque prodigio-  
 sos sanaret , quare nihil moratus cum magni  
 comitatu, & muneribus in Samariam venit  
 & cum ad Prophetæ hostium supplicantis i-  
 morem stetisset , nuncium accepit , ut Jorda-  
 nem adiret , ac septies in eo flumine se f-  
 ablueret , sic enim à Lepra sanatum iri  
 Hoc audito non parum stomachatus est Prin-  
 ceps ille , ægrè ferens , quòd se tanti no-  
 minis , & auctoritatis in Syria ne adspectu  
 quidem fuisset dignatus , ac peste a tam le-  
 vi, tam vulgari remedio præscripto dimissis-  
 set , putabat enim Vir ille Lepram , qua ope-  
 riebatur, ad Elisei pedes tanquam vestimen-  
 tum casuram , reditum propterea in Syriam  
 parabat , cum à Servis persuasus, ut reme-  
 dium tam facile, ac innoxium experiretur , ac-  
 pertentaret, num Divini aliquid hac in re sub-  
 esset ; septies in Jordane se lavit , ac velu-  
 ti



ex Sacro Textu restituta est caro ejus, sicut  
 ro pueri parvuli, & mundatus est [a]. Haud  
 o inficias, quin in septena illa ablutione,  
 canum aliquod novæ Legis Sacramenta de-  
 gnans lateret, & curatio illa per miraculum  
 venisse rectissime crederetur, remedium ta-  
 en à Propheta propositum naturale alioquin  
 uit, natum scilicet ad cutis defœdationes  
 nandas. Quid enim præstantius in hujus-  
 modi affectibus habet Ars Medica, quam  
 ulcis aquæ lavacrum, ac præsertim fluvia-  
 s, quæ salinas, & acres particulas cuti hæ-  
 entes absorbeat, & suo defluxu secum ab-  
 ppiat, recenti, & puriori subeunte (b). Uti-  
 am in cutis affectionibus crebrior esset lo-  
 onum, & balneorum usus, & minus fre-  
 uentes tam prolixæ, tam molestæ purgatio-  
 es, & venarum exhaustus [c]; ubi enim Pso-  
 a, Lepra, Lichenes, Impetigo, aliique  
 onsimiles affectus, solius cutis sint morbi,  
 o corruptum illius fermentum, & non ab-  
 essus, sine interna viscerum labe, piacu-  
 m est, tot catharticis, tot apozematibus  
 orpora fatigare, cum salis topicis, herba-  
 um succis, & præcipuè balneo sanitas im-  
 pe-

(a) Regum 4. Cap. 5.

(b) Vid. Helmon. in Tract. scabies, & Vschel.

(c) Vid. Ballon. Lib. 2. Epid. Hist. 5.



petrari possit. Erat autem, ut ex Sacro Textu, *Naaman vir potens robore, sed leprosus* certo nimirum indicio, talem affectum non fuisse abscessum, hoc est humorum ab aliquo interno viscere malè affecto, ad ambitum corporis rejectamentum, ac propterea lavationem à Propheta propositam proprium & verum fuisse remedium à morbo indicatum, visceribus innoxiiis nihil reposcentibus, Jordanis aqua ad eam virtutem divinitus elevata, ut ad tam foedam pestem eluendam septena ablutio sufficeret. Hinc persæpè fit, quòd hujusmodi animadversione vel ignorata, vel neglecta pro curatione Ploræ, quam corporis turpitudinem potius quam morbum, vocavit Hippocrates (a), operam ludant Medici, & non solum apud vulgus, sed doctos quoque homines non raro malè audiant. Squallenti, & ferina scabi tenebatur olim Franciscus Petrarca, cujus clarissimi Poetæ mortales exuvias tenent Euganei, cumque totum vernale tempus inter solennis purgationis tœdia miserè traduxisset, pruriginoso affectu exasperato potius quàm remisso, Medicis, quibus se curandam tradiderat, percunctatus, iisque respon-

den-

[a] De Affect. num. 35.



dentibus , expectandam Æstatem , quæ morbum absumeret , Vir ille sibi tanquam unde trivio verba dari existimans , totus irascenduit , atque uti ex sua natura est genus irritabile vatum , Medicos diris inspectari coepit , sic in quadam ad amicum Epistola : [a] Ego , inquit , *neque Medicis credo , neque ab Æstate spero aliquid , sed ab illo , de quo scriptum est , Ver , & Æstatem tu plasmasti .* (b)

Quàm curiosa verò , & observatione digna curatio , qua idem Propheta Sunamitis filium mortuum , seu pro mortuo habitum in vitam revocavit [c]. E Carmeli solitudine Matris precibus accersitus Elisæus , cum intrasset cubiculum , ubi jacebat puer , omnibus , qui aderant , dimissis , & ipsa quoque Matre , Deum , à quo omnis medela , precatus , supra pueri corpus curvus incubuit , os suum , oculos , & manus supra os , oculos , & manus jacentis componens , cumque paulo post corpus pueri recalescere perciperet , inde exurgens per cubiculum cursitare coepit , ut ex tali motu magis incalesceret , ac rursus , ut antea supra jacentem puerum se composuit , quo in cubatu aliquoties repetito puer

Tomus IV.

P

sep-

(a) *Epist. L. 3 Ep. 4.* (b) *Psal. 73.*

(c) *Regum 4. cap. 4.*



septies oscitavit, oculos aperuit, & in vitam revocatus est. Cum iis Interpretibus, qui puerum illum verè non fuisse mortuum persuasum habent, sed potius Syncope, aut Catalepsi correptum, ut pro mortuo credi posset sentire modo adlubescit, quamquam aliter sentiant alii, & quidem verius, quibus ego subscripserim; passim enim prostant exempla eorum, qui in ipsis funeribus revixere, quod non rarò in Mulieribus histericis observatum est, in quibus hæc cautio adhiberi solet, ne tam properè tumultentur, uti cœtera cadavera. Vesalium celeberrimum Anatomicum, qui annum agens vigesimum tertium primus in hujus Lycei Theatro publico stipendio Anatomen professus est, nobilem matronam pro mortua creditam Anatomico cultro (a), ut mortis causam exploraret, subiecisse memoriæ proditum est, quæ mulier vix adacta in pectus secespita oculos aperuit, & paulò post cum gemitu Animam efflavit, quam ob causam à Matronæ cognatis Vir ille tantæ existimationis in Judicium obtorto colo, ut dici solet, tractus est, & ad expiandam creditam impietatem pœna hierosolimitanam peregrinationem suscipiendi multa-

[a] Vid. Huber, *Languet. in Epis. ad Caspar. Reuver.*



status est, qua expleta, dum rediret, in Insula Zacynthos in tuguriolo miserè obiisse dicitur, Vir meliori fato mehercule dignus. Non abs re igitur Propheta nativo calore in illo puero synoptico, aut cataleptico vitales spiritus extinctioni proximos, & dispersos fovit, ac ad consueta munia revocavit. In hujusmodi enim affectibus, ubi summa est totius corporis perfrigeratio, ad vina generosa, ad quintas essentias, ad elixiria, & ea quæ excalefaciunt, unicum est effugium. Quid autem innatæ caliditati magis affine est, quam sani, & robusti hominis vividus calor, & ab ore, ac præcordiis efflatus. Naturali itaque remedio, divina pietate adspirante prodigiosam hanc curationem Elisæus absolvit.

Quam promptum autem ad subitos casus, & quanta rerum naturalium peritia instructum Propheta iste se præbuit; cum ingenti fame ob annonæ caritatem premeretur Judæa, uni ex suis pueris mandarat Elisæus, ut Prophetarum Filiis grandem ollam pulmenti pararet (a). Puer autem in Agrum egressus colocyntidas imprudens collegit, & in ollam pro condimento conjecit; pulte igitur fociis apposita, ut comederent, ubi in-

P 2

fi-

[a] Regum 4. cap. 4.



signem amarorem percepere, non secus ac si venenum degustassent, clamitare cœperunt; *Mors in olla*, accurrens autem Elilæus farinam pulti immiscuit, quo pacto ingratum illum saporem emendavit, sic ut pultis illa in bonum alimentum cedere potuerit. Num vera colocynthis esset, an alia planta confimilis, parum refert, satis fit, quod remedium adhibitum propriis viribus non poterat, nec tam promptè, & sine ope Divina acridinem illam abolere, naturale tamen erat, & ad munus sensim obeundum proprium, atque accommodatum. Farina quippe triticea, hordacea, atque ex aliis frugum generibus, lentore suo, & visciditate nata est acres particulas, cuiuscunque sint indolis, involvere, & irretire. Sic ad acres fluxiones attemperandas, quæ in organa spirituum decumbant, & phtisim minitentur, ad remedia ex amilo parata, ad ptisanas hordeaceas, & ollam, seu ferculum Saxonix, celeberrimi olim in hac Universitate Professoris, velut ad sacram ancoram confugimus.

Aliæ quoque nec incelebres morborum curationes in Sacris Codicibus (a), remediis quidem naturalibus inchoatæ, sed Divina vir-

tu.

[a] Regum 4. cap. 20.



tute absolutæ, qualis ea fuit, qua Ezechiam Regem ob pravum ulcus ad luctandum cum morte penè deductum Isaias Propheta gravi periculo exemit, emplastro ex massa caricarum ulceri appposito, seu medicatio illa, qua Tobia excoecato visus est restitutus, ope scilicet fellis ex quodam pilce, quem Calionimum dicunt, quale remedium Archangelus Raphael Tobia puero indicarat (a), cujus piscis meminit quoque Galenus, & fel commendat ad oculorum albugines, & crassamenta obliteranda.

Ast ad curationes verè admirandas à Medicorum scilicet maximo, Christo Salvatore nostro, dum viveret, factas, accedamus, idque sit Medicinæ sacrae, & Orationis mæ coronamentum. Christum magni Prophetæ, & Filii Dei nomen sibi asseruisse, desperatas ægritudines, ut plurimum quidem solius vocis imperio, interdum etiam remediorum naturalium usu, prodigiosè tamen sanando, passim legimus, & apud Sacros Oratores audimus. Aliquot igitur ex hoc secundo genere seligamus, & summa cum veneratione expendamus. (b) Quomodo cœcum natum ocu-

P 3 lo.

(a) Tobia cap. 2.

[b] Joan. cap. 9.



lorum usu Christus donarit , facta scilicet  
 illinitione ejusdem oculis ex sputo , ac terræ  
 pulvere , & postea cœco illo ad natatorium  
 Siloè dimisso , nemo fere est , qui literas di-  
 dicerit , & hoc ignoret . Quo vitio labora-  
 rent oculi cœci illius , solus novit , qui illum  
 sanavit , non abs re tamen ex appposito col-  
 lyrio conjectare licet , tale vitium fuisse , quod  
 remedium abstergens exigeret , & crassa-  
 mentum aliquod visum impediens tolleret .  
 Neque putare fas est Sotyranestrum , qui ex  
 sua natura erat cordis mitissimi , tale reme-  
 dium adhibere voluisse , quod oculum magis  
 læderet , quam confortaret . Qua facultate  
 polleat saliva humana in nostris corporibus ,  
 & in rebus quoque externis , non vacat hic  
 referre , satis sit sani , & jejuni hominis sali-  
 vam inter ocularia remedia non postremum  
 locum tenere . Quantæ verò efficaciæ fuisse  
 censendum est purissimum illum laticem , qui  
 de fontibus salivalibus oris Christi emanabat ,  
 cujus temperamentum adeò perfectum , & ex-  
 cellens erat , ut nullum illi par extiterit , nec  
 esse possit . Cur autem salivam terræ permi-  
 scere voluerit , quis potis est veram ratio-  
 nem proferre ? Sciebat ille quidem , uti ve-  
 rè omniscius , & à priori , ut cum Philosophis  
 lo-



loquar , qualis virtus ad cœcitatē sanandam ex hujusmodi permixtione esset emerſura , nostræ autem imbecillitati non nisi à posteriore , & per experientiam , quæ dicitur *unicum mortalium argumentum* , datum est scire , quales virtutes acquirant nova concreta , quæ emergunt , ubi diversæ indolis substantiæ ad invicem permiscentur . Aquam verò natatoriæ Siloè , ubi cœcus ille oculos lavit , & absterſo collyrio videns factus est , thermalem fuisse , & absterſiva facultate præditam fas est asserere , de quo fonte ad radicem montis Sion posito referunt Scriptores certis quibusdam diei horis ebullire (a) , atque ad hunc fontem Turcas , & Saraxenos turmatim confluere ad cutis defœdationes , & oculorum vitia curanda . Placuit tamen Servatori nostro prodigiosam hanc curationem in cœco , cooperante fide , ocularibus remediis perficere , ut exemplo confirmaret Medicinam de Terra à Deo fuisse creatam , nec Viri prudentis esse ab illa abhorrere .

Eodem penè modò hominem surdum , & mutum audientem , & loquentem facit , immit-  
tendo nempe digitum in illius auriculas , sic nimirum partem primariò affectam indigitans ,

P

4

dein-

(a) Vid. Chris. Forer. in Itin. p. 18.



deinde digito saliva imbuto linguam ejusdem  
 perfricando, & statim, ut ex Sacro Textu:  
*Apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum  
 linguae.* Si surditas ab ortu contracta in cau-  
 sa esset, ut quis sit anaudos, & mutus, sub-  
 lato aurium vitio per digiti in illarum cavi-  
 tatem immiſſionem, non erat postea, cur digito  
 saliva perfuso muti hominis linguam perfri-  
 caret. Suspicare itaque licet, imò asserere  
 præter vitiatam aurium structuram ab ipsis  
 primordiis, aliquod etiam vitium in muto-  
 rum lingua latitare, quod Christus suo con-  
 tactu, & salivali succo sustulit. Tantæ autem  
 erat energię sanatrix virtus, quæ è Christi  
 Corpore aperię ad instar emanabat, ut bea-  
 re posset, quos afficeret, eòque magis quos  
 suo contactu dignabatur, veluti quando le-  
 prosum hominem tetigit, & extemplò mun-  
 datus est, & Socrum Petri, quæ magnis te-  
 nebatur febribus, illius manu apprehensa sa-  
 nam fecit, aliosque quamplurimos, quos so-  
 la thaumaturgicæ manus suæ impositione sa-  
 nos dimisit.

Hujusmodi autem virtus morbifuga Chri-  
 sti humanitati debita erat, & specifica, nam  
 si Torpedo marinus piscis suo contactu pesca-  
 toris brachium temporis momento stupefa-  
 cien-



ciendi cum possidet, cumque naturale est, cur virtus, qua Christus pollebat ad partium tonum infractum ictu oculi restituendum, naturalis specifica, sed illi soli proprio, in quo admirando nexu humana, & Divina jungebatur natura, non erit appellanda. Id autem Divino consilio factum crediderim, ut hoc pacto sospitator noster se Deum verum esse, & verum hominem comprobaret.

Ut autem ab admirandis Christi curationibus documentum aliquod ad tutam, & Christianam medendi rationem conducens, eliciamus, recolamus quæso historiam mulieris illius sanguifluæ, quæ fama accepta, qua de Servatoris nostri prodigiis Judæa tota personabat, tantum in sinu suo concepit fidei, & firmissima persuasione crediderit, se in gratiam cum sanitate redituram, si Medicis valere jussis semel tantum Christi vestem tangere potuisset, neque illam fides sua fefellit; domo enim prodiens hominum turbæ se se immiscuit, & obstantes urgens, & clamitans tandem Servatoris Clamidem tetigit, & illicò sana facta est, *exsiccatis sanguinis fontibus*, ut Sacer Textus loquitur (a); duodecim annis, ut Scriptoris verba referam, fuerat hæc mulier in prufu-  
vio

(a) S. Marcus cap. 5.



vio sanguinis, & fuerat multa perpeſſa à compluribus Medicis, & erogaverat omnia ſua bona; nec quidquam profecerat, ſed magis deterius habebat. Hæc itaque infelix mulier, ut in prolixis, & contumacibus morbis fieri aſſolet, complurium Medicorum fortunam, ſive torturam fuerat experta, ſed fruſtrante diligentia, graviſſiori in dies reddito affectu, quare quotidiana impenſa in Medicos, & medicamenta, paulatim ad extremam inopiam erat redacta, domeſtica ſupellectile paſſim divendita, paſſim opignerata. Quis non videt in hac hiſtoria Medicorum morem antiquum, ſed nullatenus antiquatum, imò in dies juveneſcente ſugillari, qui ad curandum evocati, ſit licet morbus de incurabilium cauſa, & ægrotantis reſ familiaris pertenuis, & anguſta, nihil intentatum, nihil inexpertum relinquunt, nec ceſſant, niſi exhaustis una cum ægrotantis ſubſtantiis omnibus Medicinæ fontibus. Hinc poſtea populares audiuntur querimoniæ, dilapidari à Medicis pauperum facultates. Ubi ergo ſimiles occurrent caſus, Medicus prudens, cui cor ſaliat in pectore, verba Dei potius, quam pharmaca, pecuniam potius erogat, quàm exigat; & quod ab ægris ditioribus pro ſoſtro acceperit, in pauperis finum



efundat, & foeneret, quòd si ad aliquid agendum precibus urgeatur, morbo blandiatur potius, quàm curet, Hippocratis consilium secutus, qui scripsit, *incurabilia quoque cognoscere oportere, ut quàm minime lædant.*

Non minus quoque salubre documentum practico Medico suggerit ea responsio, quam abuit Christus ad Centurionem pro puero suo applicantem. Magnis precibus clamabat ille, *uer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur*, cui respondit Christus, *veniam, & curabo eum* (a). Poterat sane, quod postea præstitit ea potestate, qua Ventis, & Mari imperavit, jubere quoque puerum illum sanum esse, & Centurionem dimittere, attamen curationem hujusmodi præsentia sua percipere se velle dixit, *veniam, & curabo eum.* Hinc discant Medici, quam facile ludent de humano corio, dum ægris algentibus remedia magna præscribunt. Non posse tuta remedia ægris algentibus à Medico præscribi, monitum est Galeni in documento de puero Epileptico. In hanc rem non minus doctè, quàm eleganter Seneca in quadam ad Lucilium suum epistola (b). *Non potest Medicus per epistolas ci-*  
*i, aut balnei tempus eligere, vena tangenda est,*  
*quid*

(a) *Matthæus cap. 8.* (b) *Epist. 21.*



quid fieri soleat, quid oporteat, & mandari potest  
& scribi. Tale consilium non tantum a parentibus  
sed etiam posteris datur, illud alterum quando  
fieri debeat, & quemadmodum, nemo è longinquo  
suadebit.

Nimius essem, & extra suos fines mea se  
effunderet Oratio, provocante materia, hi  
enim non ad simplex spicilegium sed ad me-  
sem uberrimam colligendam amplissimus pate-  
ret campus. Mihi autem satis sit, Ornatissimam  
Philatri Medicæ Praxi jam addicti, vobis ali-  
quo incitamento fuisse ad studium hujusmodi  
tam salubre, tam frugiferum capefendum  
Animos itaque, & vires intendite, scrutamini  
Scripturas, &

- - - - - Exemplaria Sacra

Nocturna versate manu, versate diurna.



*Illustrissimis, & Excellentissimis D.D.*  
 PATAVINI ATHENÆI  
 MODERATORIBUS  
 D. FEDERICO MARCELLO  
 D. Marci Procuratori,  
 D. HIERONYMO VENERIO  
 Equiti, & D. Marci Procuratori;  
 D. MARINO GEORGIO

Bernardinus Ramazzini Felicitatem.

**O**RATIONUM mearum, quas in Patavino Lyceo occasione anniversariæ Studiorum instaurationis, hætenus habui, libello vobis inscripto, Illustrissimi, & Excellentiss. Viri, additamento erit Oratio hæc mea nuper habita, cum primariam Præcticæ Medicinæ Cathedram, mi ex singulari beneficentiæ vestræ munere adiectum me video, primum conscendi. Quàm tene illud esset, quod vestrorum Nominum amplitudini offerre ausus fueram, agnoscens, in ipsa  
 nun-



nuncupatoria Epistola, protestatus fueram, Opus-  
culo jam edito velle me quotannis adicere quid-  
quid in hoc genere è paupere meo penu prodire  
posset, quod nunc præsto, ac lubenter prestab-  
cum mea plurimum intersit librum ita augefcere  
ut millesima pagina surgat. Argumentum, quod  
in hac mea Oratione tractavi, Sapientia vestra  
forsan non indignum esset, si Vobis, quos publica  
commodis Virtus vestra perpetuò addixit, isthæc  
legere vacaret. Philosophicè, & Medicè dis-  
rendi ansam præbuit hyemalis bujusce Anni Con-  
stitutio tam algida, & communis, quæ Venetæ Ur-  
bi obsidionali maris congelatione plus terroris, quam  
ullus unquam hostis armatis navibus inje-  
cit. Hoc igitur, qualecumque sit, munusculum ad Opusculi  
accessionem, & obsequii mei argumentum bilan-  
vultu, ut soletis, excipite. Valete diu ac pluri-  
mum, Mecænates Amplissimi, sic ut Hesiodi sene-  
cta Vobis contingat.

Patauii die 2. Junii 1709.



# ORATIO

## UNDECIMA

Hyemalis Constitutio Algidissima  
Anni 1709.

*Habita die 13. Maii MDCCIX.*



Tsi eorum quæ non nisi multo labore, & conatu superata fuerint meminisse quoddam voluptatis genus dicitur, perpaucos tamen esse existimo, qui ad illius loci conspectum, ubi grave aliquod discrimen aliquandò subjerint, non horrescant; quomodocumque enim siue fortunæ beneficio, siue redeunte in præcordia virtute quis evaserit, locus tamen ipse, ubi exacti periculi casus incidit, oculos, qui primi in acie, ut dici solet, vincuntur, perstringens, nimium ad horrorem aliquem concipiendum facili negotio compellit. Id ipsum modò experiri me fateor, nec pudet fateri, dum  
enim



enim in hac Aula omnium amplissima, & super hanc Exedram me intueor, ubi novem ab hinc annis tenuitatis meæ periculum feci, ut de more solent omnes, cum ad publicè profitendum in hoc Lyceo primò accedunt sui spectaculum in hac arena præbendo, ac mentem subit recordatio, quantum expaverim loci, & personarum dignitate deterritus, ut veritus fuerim, ne in ipso Orationis limine vox, & vires me deficerent, ac modò dum video mihi demandatam provinciam, ut hoc ipso in loco, & ab hoc Subsellio, ex quo tanquam è tripode tot celeberrimi Professores oracula sua efudère, posthac Practicam Medicinam studiosæ Juventuti tradere debeam, novo horrore non possum non corripi, quem sicuti longo usu, & consuetudine imminutum iri non spero, ita vereor, ne in dies augeat. Ita fermè evenire solet, ut nunquam pensitemus quid ferre valeant humeri, quid recusent, neque cognoscamus, quàm dura, quàm onerosa sit aliqua provincia, nisi postquam fuerit suscepta. Isthæc equidem multò antea mecum præsenferam, ac tam gravi discrimini opportunè me subduxisse arbitrabar, seposito res meas promovendi tentamine: Neque enim indecorum putavi, imò ingenui pudoris

ple-



plenum opus esse credidi post honorum, ac dignitatum petitionem candidati speciem interdum exuere, ac sinere, ut is, quem te digniorem noveris, & in axe anteriori currentem, locum occupet, quem sua virtute promeruerit. Rectè quidem, ac sapienter hujus Cathedræ, quæ tam diu sine suo Professore squallebat, dignitati fuerat consultum; ast quàm grande ornamentum illi Fata invidere, è viventium statione sublato Illustrissimo Comite Alexandro Borromeo, quem Practicæ Medicinæ primarium Professore Sapientissimi hujus Lycei Moderatores designarant. Verùm summo rerum omnium Moderatori, & Arbitro placuit Virum hunc claritudine generis, pietate, ac doctrina percelebrem, ad sublimia Cœli subsellia evocare, ubi nunc ille humana despicit, ac sollicitudines nostras, ridet, qui tam clarum lumen huic Civitati, huic Lyceo, atque Ordini nostro ademptum conquerimur.

Quoniam autem tanto Viro suffectum me volvere, Sapientissimi Moderatores, Amplissimus Senatus Venetus, & Serenissimus Princeps, quem nuper terris ereptum ingemiscimus, & cœlo adscitum colimus, ijsque placitum tam honorifico gradu senectam meam



decorare in titulum sepulchri, me ipsum excutiam, & si qui sunt in effœto jam corpore igniculi, eos extimulabo, & ad micationes aliquot identidem explicandas, ut solent morituræ faces, pro viribus compellam. Et si autem non ignoro, conatus meos tanto muneri suppare nunquam fieri posse, ut quod loci, & gradus sublimitas exposcunt, exæquent, onus tamen impositum detrectare nefas credidi; quod si expectationem vestram non implevero, ut ut nervis omnibus connitar, conscientia mea tamen contentus vivam, ut qui sciam dignitatem hanc non ambitu, nec ullis artibus mihi quæsitam, sed à sola hujus Lycei Triumvirorum beneficentia promanasse, quibus nescio quo pacto volupe fuit, eodem fere tempore, ac tam raro exemplo tot commoda, tot beneficia, tot honores, in sinum meum effundere, ut nihil ampliùs mihi supersit, quod possim votis expetere, nec ipsis, quid valeant ulteriùs conferre. Jam video, quod munus mihi nunc incumberet, nimirum, ut Panegiricum pro justa gratiarum actione contexerem, sed quemadmodum iis ingenii viribus haud quaquam instructum me agnosco, ita temerarium opus censerem, tot amplissimorum Virorum merita, & laudes unica Oratio-



tione velle complecti; cum ad id ritè peragendum vix plures actiones sufficerent; quando igitur verbis gratias agere nimis levidense officium est, & à referendis gratiis quàm longissimè absum, consultiùs facturum me arbitror si tantumodò gratias habeam, easq; immortales, alta mente repositas, atque æternùm servandas. Quoniam autem huc convenisse vos scio, Auditores Ornatissimi, ut me de aliquo, quod professorii muneris mei sit differentem audiretis, morem vobis geram, eòque libentiùs, quòd argumentum nactus mihi videor, quod ob novitatem adhuc, ut puto, intactum, attentione vestra non modò indignum non sit, sed quod propter multas difficultates, quibus involutum est, ingenia quoque vestra exercere valeat. Argumento erit prægressa nuper hyemis algida, & nivosa constitutio, quæ frigoris vehementia, atq; asperitate non solum Italiam, verum universam Europam tanta hominum, & omnium cujusque generis viventium strage malè mulcavit. Labet itaque in hanc tam intempestam hujusce hyemis tempestatem philosophica, & medica indagine inquirere; quòd si tam portentosi frigoris veram, & germanam causam in apricum eruere non dabitur, non abs re



forſan, neque ad ſanitatſis cuſtodiam infrugi-  
ferum erit exquirere, quid mali hac proxi-  
ma æſtate ex hac tam malè morata conſtitu-  
tione timeri poſſit.

Humanitate veſtra abuti mihi viderer A. O. ſi  
hyberni frigoris, quod annum hunc neſaſtum  
fecit, & ad multa Secula memorandum faciet,  
inclementiam non dicam, ſed inſolentiam lon-  
go verborum ambitu vellem deſcribere; quo-  
tus enim quiſque repertus eſt tam denſo corio,  
ac tam forti à natura temperie donatus, qui  
non in cute ſolum, ſed intus quoque & intra  
ipſa præcordia, ubi veſtalis ignis nativos la-  
res, & focum habet, ab algidiſſimi aeris in-  
ſpiratu noxam aliquam non perſenſerit? Ma-  
gra ſunt, quæ vidimus, majora, quæ audivi-  
mus; vidimus, magna flumina tam arcto, tam  
alto gelu adſtrieta, ut armentis plauſtris onu-  
ſtis, & ipſis quoque exercitibus tranſvehen-  
dis ſufficerent. Vidimus ad binos, & amplius  
menſes vim nivium immodicam è Cœlo non  
tacitè, ut ſolet, ad inſtar velleris labentem,  
ſed magno cum impetu in ſolum projectam;  
& quod magis mirere, ſub Æquinoctium ip-  
ſum, quod in hac Civitate prodigio par eſt.  
Vidimus in partibus Aedium interioribus, &  
in ipſis hypogæis fluida quæque congelari ſo-  
li-



lidioribus vasis ex opere figlino disruptis ,  
 ac dum cibum capturi mensæ accumberemus,  
 non procul à laculento igne vidimus fuman-  
 tes epulas temporis momento gelaſcere . At  
 vulgaria sunt isthæc , & fidem invenient .  
 Urbem vidimus Adriæ Reginam, cui nullum  
 unquam nisi navigiis cum terra fuit commercium  
 continenti junctam , marinis aquis in marmo-  
 ream duritiem solidatis, ut ad septem passuum  
 millia ultrò citroque longo agmine comnea-  
 rent Viatores , Veterinarii, & annonariæ  
 gentes cum armentis , & gregibus , ut labo-  
 ranti Civitati victuales suppetias ferrent .  
 Quàm admiranda porrò , imò quàm miseran-  
 da sunt , quæ alibi facta accepimus , velut  
 in Gallia , Anglia , Germania , ac tota Se-  
 ptentrionali plaga , non solum magnis flumi-  
 nibus marinum æstumpati solitis , sed Ocea-  
 no ipso congelato , ut sublatiſ commerciis  
 centenæ hominum chyliades in civitatibus ,  
 in agris inter frigoris rabiem, & famis morsus  
 miserè perierint , ac ex iis, qui militiæ sacra-  
 mento erant auctorati longè plures in castris  
 hyemando , quàm in acie pugnando in Or-  
 ci familiam transierint . Profecto si cujusque  
 Regionis , Civitatis , atque Oppidi Necrolo-  
 giam haberemus, in quibus eorum, qui è vita



decefferint, nomenclatura continetur, ac ratio iniri posset, quot hominum myriades, quorum vel trium mensium spatio in Libitinæ censum deduxerit intolerando suo frigore funesta hæc hyems, nulla certè pestis ut ut truculenta, & pernicialis, nec ea, quæ apud Historicos, & Poetas adeò pervulgata, quæ universam Græciam depopulata est algidissimè hujus constitutionis pestis, si ita fas loqui, ullo pacto esset conferenda.

Ast unde nam quæso tam violenti frigoris petenda est origo? Si ab Aquilone frigoris Promocondo malum hoc venit, cur hoc Anno tam violentum, tam diuturnum, ut quotquot in viventium numero adhuc extant, provectoris ætatis homines; & filicernio jam proximi tam enorme frigus nunquam se persentisse meminerint, nec scriptorum quisquam prodigium hujusmodi literis prodiderit. Scire optatis O. D. quam proportionem habuerit hujus anni frigus ad præcedentium octo annorum, quos in hac Civitate observare mihi datum, summum frigus? Psicrometro teste proportionem habuit sesquialteram, hoc est ut ternarium ad binarium. Is fuit hyberni frigoris hoc anno supra cæteros excessus, qui in regnum quoque vegetabile de-

læ.



sæviens, non solum plantas, quæ hortorum  
 ornamenta sunt, sed, quod dolendum, Oleas,  
 & Vites ad internecionem usque absumpsit.  
 Meherclè si in hujusmodi tempora incidisset  
 Cardanus eam, quam de frigoris natura opi-  
 nionem mordicùs tenuit, dubio procul abie-  
 cisset; non esse frigus quid re vera subsistens,  
 sed simplicem caloris privationem, ventosque  
 omnes plùs minùs calidos esse inter suas sub-  
 tilitates recensuit Vir ille, quem censoria  
 virgula fugillans, severissimus ille Cardano-  
 mastyx hisce verbis sic eum interpellavit.  
*Abjice soleas, ac pileum, Cardane, quo tempo-*  
*re ex Alpibus rbæticis urit vos Boreas; frigidus*  
*enim, & siccus est.* [a]. Hic autem mihi haud  
 quaquam mens est, in frigoris naturam curio-  
 sius inquirere, neque quodnam primum sit  
 frigidorum, num Aqua, ut Aristoteles, an  
 Terra, uti Parmenides, & num venti aerem  
 comprimendo frigus efficiant, aut illius Vecto-  
 res sint, cujusmodi quæstiones Philosophos  
 tum veteres, tum recentiores exercuere, &  
 adhuc exercent, sed solùm in votis mihi es-  
 set, causam perspectam habere, quæ hac hye-  
 me tantum frigoris, ac tam ex improvviso exci-  
 verit. Jam præcedens brumale solstitium exe-

Q 4

gisse

(a) Scalig. Excr. 18.



gisse nos, & Annum cum satis placido aeris statu clausisse lætabamur, ut spes esset hyemis reliquum eodem tenore processurum. Ast tanto impetu nascenti anno Janus fores aperuit, ut nobis ferale bellum indicere visus fuerit; illico enim ex boreali plaga ventorum turbines biduo tanta vi efflarunt, ut omnibus horrore essent, illos acerrimo frigore comitante, & continuo nivium descensu subsequente. Grande igitur aliquid in hyperboreis contigisse credendum est, quod tam subitam in aereo mari magno tempestatem excitavit? Anne magnum aliquem terræ hyatum ex improviso apertum fuisse putandum est, unde unà cum ventis algidissimis tanta nitrosi spiritus copia eruperit, quæ totam atmosphæram frigorificis particulis ad saturitatem usque operiret? Quanta vi polleat nitrum ad sensum frigoris inducendum, satis commonstrat experientia, dum nivi, & glaciei commixtum illarum activitatem exacuit, ac in earum defectu nitri portionem in aqua dissolvendo modum habemus, quo media æstate vina, & frigidas portiones nobis comparemus, non aliunde autem quàm è terræ sinu tam horrendi frigoris causam deducendam arbitror; ad tam subitam enim, & adeo turbulentam ventorum



ruptionem locum aliquem in aerea regione  
 intra polarem circulum fingere oporteret, in  
 quo spiritus adeò furentes conclusi essent, &  
 effracto carcere subito erumperent, quod  
 tamen Poetæ, quibus quidlibet audendi da-  
 ta est potestas, ausi non sunt, qui ventorum  
 turbam in antris terræ obscurioribus abditam  
 esse voluerunt, ac insuper Regem illi statuere,  
 qui imperio premeret, & laxas sciret dare  
 iussus habenas. Minus porrò rationi congruum  
 videtur cœlestia illa corpora culpæ velle,  
 quæ suo lumine, & afflatu in nostram perniciem  
 conspirarint. Quid novi enim in Cœlo à sy-  
 deralis scientiæ peritis antea fuerat observa-  
 tum? Num ferales Cometæ visi sunt, aut alia  
 huiusmodi portenta? Num Planetæ in cho-  
 reis suis agendis à præscriptis sibi legibus  
 exorbitarunt, ut novis syzigiis, & insolitis  
 motionibus Cœlestem illam harmoniam per-  
 turbarint, ut postea propter illorum aberræ-  
 tiones nos plectendi essemus.

Sit quidem, ut ajunt, multum pollere lu-  
 nare Sydus ad perfrigerandum, ac illius lu-  
 men ad nos reflexum, licet à Sole prodeat,  
 actu frigidum esse, seu, ut alii putant, vi ma-  
 gnetica calorem terræ, & aeris ad se elicere,  
 sicque frigefaciendi vim habere, at forsan

Lu-



Luna hoc anno propius ad nos accessit . Haec  
 sum nescius ab Astronomis , à veteribus Agri-  
 colis , à Medicis quoque peritioribus , ut  
 olim ab Hippocrate ad prænoscendam futuræ  
 hyemis indolem observari solitum plejadum  
 occasum [a] , & ortum Arcturi , atque ut mo-  
 nebat Virgilius

*Frigida Saturni sese quò Stella receptet ? [b]*

At isthæc singulis annis observantur , & ad-  
 ventantis hyemis signa sunt potius , quàm cau-  
 sæ . E' magnæ Parentis utero itaque monstro-  
 sum hoc frigus prodiisse à vero non prorsus  
 alienum videtur ; Terra enim tota intus ca-  
 vernosa est , & non secus ac animalium cor-  
 pora suos habet ventres distinctos , & magnas  
 cavitates in quibus non hospitantur tantum-  
 modo silentes umbræ , & segnis aer , sed varia , &  
 admiranda intercurrente spiritu exercentur  
 opificia . Nusquam certè operosior Natura est  
 quàm in subterraneis officinis ad generatio-  
 nem intenta tot pretiosorum lapidum , fos-  
 silium , mineralium , & metallorum , quæ si  
 hominum avaritia potius quàm curiositas , &  
 abditiora quæquæ investigandi cupido surri-  
 piat e fossis terræ visceribus , non minùs na-  
 tura sollicita est in illis suo tempore reponen-  
 dis , & damno refarciendo . Hinc innumeri

pe-

[a] In 1. Epid. Sect. 1.

(b) Georg. 1.



enè fontes è terræ scatebris erumpunt non  
 lùm aquarum dulcium, sed medicatarum  
 quoque, quales sunt ferratæ, eneæ, sulphu-  
 ræ, aluminosæ, nitrosæ, aliæque omnige-  
 ræ. Cum autem borealis plaga in sinu suo ni-  
 tri multum recondat, quod satis norunt nitri  
 collectores prò tormentario pulvere conflan-  
 tes, qui è parietibus, & locis boream respi-  
 centibus longè plus nitri obtinent, quàm ab-  
 s, qui Austrum, cur suspicari non liceat in  
 regione illa inhospita, & Solis radiis ad plu-  
 res menses inaccessa ex subito, & præcipiti  
 montis alicujus in magnas illas cavernas la-  
 psu, ut in Appenino, & Alpibus aliquando  
 contigisse legimus, portam ingentem algidif-  
 simis ventis, & nitrosæ exhalationi apertam  
 fuisse, unde tam horrida tempestas hac hye-  
 me ortum duxerit? In Islandia magnam ca-  
 vernam esse referunt, ex qua venti frigidif-  
 simi expirent, qui glaciei fragmina identi-  
 dem in altum protrudant. In Hetruria penès  
 Lacum Vulfinensium ad radicem cujusdam  
 montis Boream versus antrum extat, in cujus  
 latere rima visitur, ex qua, æstate præcipuè  
 ventus efflat adeò frigidus, ut sine noxa per-  
 ferri nequeat, in quo specu si vina reponan-  
 tur, ad pauca temporis minuta penè gelascunt  
 & fru-



& fructus pruinosi educuntur, magnum utique blandimentum ad exhilaranda convivia, quæ ab Indigenis illis, cum Procyon furit, celebrari solent. In Peruvia duo Oppida Plata & Potosam describit Acoſta, (a) quæ non multum inter se distant, ac utraque in montanæ locis posita, quorum unum, Potosa scilicet temperaturam hyemis habeat, Plata vero vernali similem, cujus prodigii in calidissima regione causam in argenti fodinas referunt & terræ spiracula, unde aura algidissima exiret. Quando igitur longè probabilius est frigus ab imis terræ visceribus in aerem efferri, quàm ab ætheræa regione in hæc inferiora descendere, tam grandis Phænomeni quod hæc hyems præsetulit, & cui aliud simile ulla ætas non vidit, nullam aliam causam comminisci possum, quàm magnam terræ scissuram recens factam, paratum tamen me protestans ad expuendum ex animo meum hoc commentum, sicubi aliqui feliciori sorte meliora proferant. Si ergo forte ita evenit uti conjeci, tam horrendi frigoris, ac tantarum nivium descensus, causam tenere mihi viderer; Nitrosa enim emanatio illa unà cum ventis validissimis longè latèque diffusa tan-

ma-

(a) V. Bæchon. in Hist. Ventorum.



magnum algorem efficere, & vapores aquei  
lementi sobolem, in aere suspensos arripiens,  
sque se consocians nivem conformare po-  
nit, atque illi suis capillamentis sexangula-  
em, & stellatam figuram impertiri. Non ad-  
pernandam nitri portionem nivibus inesse  
hymica enchirisis ostendit, qua nitrum in  
nu nivis delitescens educitur, & Medicus  
sus comprobat, dum ex aqua nivis ratione  
itri in illa contenti parantur remedia in æ-  
tuosissimis febribus exhiberi solita.

Verum dictum illud è sacris paginis mihi  
forsan obtrudet aliquis. *Nunquid ingressus  
es thesauros nivis (a)*: tu qui adeò fidenter  
modum tradis, quo in aere conflentur nives?  
Ultrò fateor, A.O. non esse apud me ipsum  
tanti ponderis, quas produxi de nivis con-  
formatione, & credito terræ hyatu conjectu-  
ras, ut veram, & germanam tam inusitati  
frigoris causam è Democriti puteo hausisse  
me persuasum habeam. Conjectoris tamen non  
prorsus improbandi munus obiisse me arbi-  
trabor, si in negotio tam abstruso ita fieri po-  
tuisse naturæ legibus non repugnet, nil enim  
amplius à rerum naturalium scrutatore in re  
obscura exigebat Peripateticorum Princeps.

Quid

(a) Job. cap. 38.



Quid ergo in quæstione tam ardua , & imper-  
 via dicendum ? Num ad effugium illud histrio-  
 niam exercentibus adeò familiare recurren-  
 dum, qui ubi fabulæ negotium ita implexum  
 & involutum est , ut nodo solvendo humani  
 ingenii acies non sit satis , pro more habent  
 Deum aliquem è machina in Scenam indu-  
 cere ? ita sane , Ut ergo aliquid proferam  
 quod pro vero accipi possit , de hac tam hor-  
 rida Constitutione dicam , quod magnus Hip-  
 pocrates de morbis populariter grassantibus  
 ubi Phœnomena quædam apparerent , quo-  
 rum ratio in abdito esset dicere consueve-  
 rat ; ἀμα δὲ καὶ ἐστὶ θεῖον ἐνέστιν ἐν τῇ σὺν ὁσῇσι (a)  
*considerandum, an sit quid divinum in morbis , il-*  
*lud itaq; θεῖον apud Medicos tam in morbis*  
*quàm in remediis adeò celebre hic quoque*  
*vim habuisse censendum est , ab ipso Deo*  
*nimirum tam rigidam tempestatem fuisse ex-*  
*citata , ut corruptos Seculi mores , & vitia*  
*novo , & inusitato poenæ genere expiaret*  
 Neque enim in suis armamentariis justissimum  
 illum criminum vindicem solum ignem , &  
 fulmina habere credendum est , quæ multo-  
 rum metu , & paucorum periculo jaculeret  
 in terras , in iisdem enim habet , *Glaciem* ,

(a) Hippocr. lib. 1. præm.



nivem, qua faciunt verba ejus (a). Ille  
 , qui, ut cecinit Regius Vates, de the-  
 aris suis ventos educit, qui temporis mo-  
 mento aerem non minùs, quàm maria in-  
 agnas tempestates agant, & palam faciant,  
 i serviant, cui militent. Illud sanè admi-  
 rationi fuit, quod toto eo tempore, quo à sex-  
 Januarii usque ad Æquinoctium ferè perti-  
 cissimum perstitit frigus, nunquam hisce-  
 ausi fuerint australes venti, quod in hisce  
 gionibus perrarum est, cum vel media hye-  
 e rigidiori identidem caput efferre soleant  
 ora meridionali calidiores flatus, adeò ut  
 improvise liquecant nives, & regelent flu-  
 ina si quæ priùs glacie erant adstricta, ut  
 andoque campos inundent, quasi Deus  
 borealium ventorum ministerio plectere nos  
 olens australes flatus intra suos lares, unde  
 tum habent, conclusos voluerit, ne blando  
 o tepore inflictae poenæ rigorem delinirent.  
 c eleganter non minùs, quàm ingeniosè Ovi-  
 us Jovem, qui totum mortale genus aqua-  
 am eluvione perdere statuerat, finxit repo-  
 nisse tela manibus fabricata Cyclopum, in-  
 ntris autem æoliis Aquilonem, aliosque ven-  
 os nebulas fugare solitos clausisse, emisisse  
 au-

(a) Psal. 134.



autem Notos , Euronotos , atque Austrum  
pluviarum pincernam.

Utinàm autem malorum finis fuerit , & huius  
julce anni felicius sit exitus , quàm fuit in  
tium . Quàm infesta , quàm pernicialis hum  
no generi fuerit hyemalis hæc constitutio  
& quænam morborum genera invexerit , nemo  
est , qui ignoret . Frequentissima fuere in hæc  
Civitate , ut de aliis taceam , funera , ac nu  
la penè domus visa est , quæ pullam vestem  
non induerit . Primò quidem teneros infan  
tes , decrepitos senes , & valetudinarios fr  
rè omnes ; mox juvenes , & robustiores vi  
ros , nec solum minutam plebem , sed non  
paucos quoque ex Procerum ordinibus hibe  
ni frigoris violentia in Libitinæ censum dedi  
xit . Tusses , destillationes , plerutides , per  
pneumoniæ , dyspneæ , & morbi id genu  
dominatum obtinuerunt . Rationi autem consen  
sum fuit , ut huiusmodi affectus populariter  
grasarentur ; sicuti enim austrina tempesta  
capiti infensa est , ita Aquilonaris spiritalibus  
organis est maximè infesta . Possumus equi  
dem adscititiis comis , adversus aeris inju  
rias calvariam munire , ac bene chlamyda  
ti , & palliolati corporis exstima à frigori  
rabie , & morfu possumus tutari ; at quomodo



visceribus in pectoris cavea contentis ab aere rigidiori prospici potest, si ab indefinente, & reciprocante aeris inspiratu, & expiratu vitam precariam habemus? Non est ergo, quod miremur, si hæc hyems glaciale aura per ostium patens thoracis penetralia subeunte, tam diram hominum, & cujusque generis animantium cladem ediderit.

Verum anne putandum, hanc malè moratam constitutionem totam sævitiem suam explevisse, ut in nostris corporibus labem nullam reliquerit, quæ nova morborum genera hæc æstate non possit arcessere? Si Coi Senis, cui futurorum mens divinatrix divini nomen adscivit, oraculum adeamus, responsa referemus, quæ non multum nobis arrideant. (a) De temporibus, aiebat ille, si quidem hyems sicca, & aquilonia fuerit, ver autem pluviosum, & austrinum, necesse est, æstate acutas febres fieri, lipitudines, & intestinorum difficultates. Observatione profectò dignum est, quomodo Hippocrates, Vir in prædicendo alioquin cautissimus tam fidenter, & absolutè pronunciarit, quòd si hyemem aquilonarem, Ver austrinum, & pluviosum exceperit, ex necessitate subsequi debeant æstate acutæ febres, & alui pro-

Tomus IV.

R

flu-

[a] 3. Aphor. XI.



fluvia. Ast ratio sic fieri oportere satis evincit; etenim si hyems plus æquo algida, & nivosa sit, parum perspirant humana corpora; ac ea præsertim, quæ debiliora sunt, unde serosam colluviem cumulari necesse est, eamque augescere, si ver pluviosum successerit, quæ postea per æstivum calorem diffusa, & in motum concita, acutæ febres, & alui fluxus oriantur necesse est. Nec quis putet, Hippocratem nisi experientia prius edoctum tam grande effatum pronunciasse, in libris enim Epidemiorum Constitutionem habet, in qua pars hyemis posterior; ut in nostra evenit, aquilonaris fuit cum magno frigore, & nivibus, cui ver successit pluviosum, unde postea memorati affectus Æstate, & Autumno apparuerint,

Ver equidem, quod modò excurrit, & cuius medium jam tenemus, atque hyemi algidissimæ successit, sub initium visum est pluviosum propendere velle, non paucos tamen Aprilis mense dies habuimus siccos, sine ullis omninò imbribus, sed ita calentes, ut à canicularium dierum æstu parum differrent, sub finem tamen mensis tam magna, ac subita facta est à calore ad frigus conversio, ut unica ferè die rariores syntheses,



ses, & holoserica deponere necesse fuerit, ac  
 è vestiario pannosas vestes reposcere, quam  
 mutationem postea subsequutæ sunt ingentes  
 pluviae. Quo tenore veris pars altera pro-  
 cessura sit, solus novit, qui fecit tempora,  
 dies, & annos. Id tamen certum est, hu-  
 iusmodi temporum anomalias, & à sua tem-  
 perie aberrationes ominosas esse, & morbo-  
 rum mali moris, quod Superi avertant, præ-  
 nuncias. Nam ex eodem Hippocrate, [a] *in le-  
 gitimis temporibus, & convenientem servantibus  
 temperaturam morbi legitimi, & boni iudicii fiunt;  
 in intempestivis autem non legitimi, & mali ju-  
 dicii.*

Sed quid frugis ex huiusmodi apparatu  
 datur colligere ad præcautionem, & sanita-  
 tis custodiam? Paucis dicam, quod sentio.  
 Adversus temporum tam enormes intem-  
 perantias magnum erit præsidium tempe-  
 rantia, neque solum in victu, sed in omni-  
 bus, quæ res non naturales vocant Medi-  
 ci. Non inopportunum tamen erit purga-  
 tiones instituere, & si opus fuerit, sangui-  
 nem mittere. (b) *Quibuscumque convenit vena-  
 sectio, vel purgatio, hos Vere purgare, vel ve-*

R 2

nam

(a) 3. Aph. Aphor. 8.

(b) 6. Aph. Aphor. 47.



nam *secare oportet*, aiebat idem Hippocrates. Magna certè animadversione particula illa disjunctiva digna est; Practicorum enim non pauci magnum piaculum committere sibi viderentur, si purgationem vero tempore instituentes venam simul non tunderent. Ast quàm longè à divini Præceptoris vestigiis aberrant, nemo non videt. Est, ubi tantum sanguinem mittere oporteat, est, ubi solum purgare liceat, est, ut utrumque remedium conveniat. Si verò aliquis ex memoratis affectibus hac æstate populariter vagari incipiat, boni, & periti Medici erit non tam properè, & inauspicatè communibus remediis, ut in morbis sporadicis, curationes aggredi; rectè propterea Celsus de pestilenti febre verba faciens aiebat (a), *sanguinem non facilè mittere, alvum non facile ducere*: suspenso pede igitur procedendum erit, atque attentè observandum, quomodo Natura morborum medicatrix iis utatur, qui spontè, aut paucis remediis evadant; illa enim sibi vias, & aggressionem invenit, quas prænoscere, & divinare non possumus; fateamur enim necesse est, quandoquæ aliqua epidemica affectio ex im-

pro.

(a) Lib. 3. cap. 7.



rovisio se prodat, esse nos juvenes, ac ty-  
ones, licet medendo ætatem triverimus,  
leoque oportere, ut Naturæ, quam aucto-  
ridacton, & doctam sine Magistro Hippocra-  
es dixit, nos erudiendos tradamus. [a]

Cum ergo propter prægressæ hyemis in-  
emperantiam adeò enormem, & veris tem-  
eriem hætenus non admodum laudandam non  
torfus inanis, & adspernanda sit suspicio,  
e præ cæteris morbis acutæ febres ( quod  
men despicio ) hac æstate acutarum febrium  
ubita tempestas ingruat, & busta cumulent,  
uinque mihi hoc anno obtigerit de Febribus  
a universum studiosæ Juventuti sermonem  
habere, propterea temporis reliquum, quod  
uperest, ad implendum tertium hoc, & postre-  
num medici cursus stadium, circa acutarum  
ebrium, quibus epidemici aliquid insit, exa-  
nen pro viribus totum impendam.

R 3

ORA-

(a) 5. in 6. *Epist.*







# ORATIO

## DUODECIMA

Medicinam cepisse negligi, cum  
magis erat æstimanda.

*Habita Mensis Novembris MDCCX.*



Contemplanti mihi literarum  
non minus, quàm literato-  
rum fata, & infortunia, ac  
disquirenti, cur facultates, &  
Artes quædam summo in ho-  
nore olim habitæ, magnisque  
præmiis donari solitæ, è sublimitatis suæ  
gradu tam miserè deciderint, ut aliæ modò  
paucos cultores habeant, aliæ nullos, aliæ  
verò permultos, sed neglectos, visus sum  
in quibusdam ex iis rationem aliquam tene-  
re, in aliis verò prorsus nescire, cur tantam  
existimationis suæ jacturam fecerint. Elo-  
quentiam antiquitus inter liberales Discipli-  
nas primas tenuisse, diuque magna in exi-



stimatione perstitisse ; Scriptorum monu-  
 menta , quæ extant , testantur . In Græcia  
 primùm quidem floruit , ac tantum auctori-  
 tatis sibi adscivit , ut politicum Regimen  
 penès illam esset , & in tyrannidem quandam  
 degeneraverit , ubi autem Romanæ poten-  
 tiæ servire coacta est Græcia , tunc Elo-  
 quentia unà cum bonis artibus , spretis A-  
 thenis , migravit in Latium , ubi maximè  
 inclaruit , donec Reipublicæ dignitas , &  
 cura stetit , quo tempore Hortensii , Tullii ,  
 aliique clarissimi Oratores , quanta esset Elo-  
 quentiæ vis , palam fecere . Cum verò ob  
 temporum iniquitatem publica securitas pe-  
 riclitari cepit , Professoribus in exilium actis ,  
 seu peremptis , Eloquentiæ robur infractum ,  
 & nervatum apparuit , eoque magis cum in  
 Italiam irrupit barbarorum illuvies , quæ  
 latialis Eloquii puritatem incompto sermo-  
 ne defœdavit . Quantum autem vigeat vis  
 Eloquentiæ , ubi apud Optimates summa re-  
 giminis est , & publicæ securitatis custodia ,  
 documento esse poterit Adriæ Regina Civi-  
 tas , in qua Cives , ac præsertim Patricii vi-  
 dentur ad Eloquentiam prius nati , quàm in-  
 structi . Olim de causis corruptæ Eloquentiæ ,  
 quæsitum scimus , ac varias traditas fuisse  
 cau-



causas ; nimirum Juvenum desidiam , Paren-  
 um negligentiam , & Præcipientium insci-  
 iam, modò autem causas ab iis diversas com-  
 minisci licet , aliud nimirum esse vivendi ge-  
 nus , alia instituta , & in foro agendi causis ,  
 ut etiam si egregii in Lyceis extent Professo-  
 res , ac non desint apta ingenia, non habe-  
 ret Eloquentia , unde Sectatores suos aleret,  
 deòque suis rebus desperans in Claustra ,  
 & Religiosos coetus , tanquam in Pritaneum  
 am dūdum se receperit . Quare non est, quod  
 miremur , si à veteri suo splendore descive-  
 rit , & paucos sui cultores numeret . Astro-  
 logiam quoque , quam Judiciariam vocant ,  
 olim apud Principes , & Literatos quoque  
 nomines summa in veneratione habitam , &  
 excultam , ut quæ ex Astrorum positu , &  
 variam ad invicem configuratione hominum  
 fata , & fortunas prædiceret , ac vendicaret,  
 eruditorum nemo non novit . Extant apud  
 Scriptores præclaræ , & gloriosæ prædictio-  
 nes , quæ si veræ sunt, in summam admiratio-  
 nem rapiunt , qualis ea fuit , quam Spurina  
 Julium Cæsarem præmonuit , ut Idus Martias  
 caveret . Apud Ethnicos , quibus persuasum  
 erat , posse futura prænosci , ac prædici ,  
 deòque nihil nisi auspiciatò aggredierentur  
 hoc



hoc divinandi genus à cœlestium corporum luminibus, & influxu petiit maximè invaluit, & in Artis formam redactum, ut qui vis vel mediocri literatura imbutus habito momento, quo infans aliquis in lucem prodit, & puncto Signiferi, quod Horoscopus vocant, cœlestis figuræ constitutionem sibi compararet, & juxta aphorismos, & Apothelismata, editi infantis temperiem, fortunam tum bonam, tum malam, morbos, varios eventus, totius vitæ tenorem, & etiam modum exitus confidenter prænunciant. Multum equidem Arti huic divinatrici de existimatione, quam habebat detraxit Christiana Religio, adhuc tamen multos habuit Patronos, & Clientes, donec tandem Joannes Picus Mirandulanus editis doctissimis Libris adversus Astrologos Artis hujus inanitatem patefecit, & prorsus exautoravit. Quidnam verò de Medicina dicendum, quæ licet tum vetustate, tum præstantia, & usu cæteris omnibus præstet, & ubique gentium apud Principes, & vulgus quoque honores penè Divinos sibi adsciverit, attamen hisce temporibus, adeò neglectui sit, ut inter honestas disciplinas vix locum habeat? Cuinam vitio vertendum in-



infortunium hujusmodi ? Non equidem Parentum incuriæ, qui iniquis hisce temporibus magno rei familiaris dispendio liberos suos ad publica Lycea dimittunt, non Juventuti, quæ magno discendi desiderio flagrat, non Professorum inscitia, quando nam etenim puriora dogmata Professores ab Exedris studiosæ Juventuti tradidere ? Disquisitione ergo dignum est causam scrutari, quæ Medicam artem è dignitatis suæ fastigio dejecerit, quum majorem venerationem debuit exigere, idque erit Orationis hujusce meæ Argumentum.

Si Medicæ Artis veteres fastus vellem recolere, ac memorare, quantum existimationis, & dignitatis longo seculorum fluctu obtinuerit facultas hæc omnium antiquissima, ac præstantissima, ac priora illa tempora cum nostra hac ætate conferre, penè ausim dicere, aut aliam nunc omninò esse Artem, aut aliud Nominus genus, & alios mores. Dictitari olim solebat Medicinam esse Artium omnium imperiosissima, modò fateri necesse est, nullam Artium esse ad servitutem magis natam, quam medicam Facultatem. Ne pigeat quæso A.O. formam, & verba ipsa audire, quibus olim Gothorum

rum



rum Reges, postquam in Italia rerum potiti barbariem exuere ceperunt, Archiatros suos creare consueverunt. *Indulge Te Palatio nostro, habeto fiduciam ingrediendi, quæ magnis solet pretiis comparari, nam licet alii subiecto jure serviant, tu rerum domino studio præstanti observa; fas est tibi, nos fatigare jenuis, fas est, contra nostrum sentire desiderium.* En quantum auctoritatis, & existimationis in Aulis Principum obtinuit Ars ista, quantum autem venerationis privatis in domibus, & apud popularem gentem habuisse illam credendum est? Qualis nunc ea sit, non est quod memorem, ne probra nostra dissimulanda potius, quam verbis exaggeranda in propatulo magis ponantur. Attamen si computemus, quantum septuaginta plus minus annorum spatio profecerit, in Physiologicis, Pathologicis, in Therapeutica Methodo, in re Pharmaceutica, Botanica, Chirurgica quoque, si pensitemus quantum pomœria sua ampliarit, multa dogmata è Statica, & Hydrostatica in sua jura transferendo, & quantum naturalibus scientiis contulerit suis experimentis, & observationibus, ut Philo-  
sophiam à medicina sanitati restitutam pronunciare liceat. Si hæc, multaque alia in  
unum



unum conferantur in summo dignitatis, & existimationis fastigio jamdudum fuerat collocanda. Quidnam igitur illud fuisse censendum est, quod post tot conatus, post tot præclara gesta postremis hisce temporibus à veteri gloriæ suæ, & honoris possessione tam subitò, tam intempestivè deturbarit? Sentiat quisque in hac re ut lubet, ego nullam aliam causam comminisci possum, quam ipsorumet Artis Professorum nimium studium, nimiam pervestigandi cupiditatem, nimium, quis credat, veritatis amorem. Paradoxa forsan videbuntur isthæc, & si expenduntur nimis vera esse deprehenduntur.

Postquam enim ingenui Artis cultores, veteriosa illa consuetudine excussa, aliorum opinionibus subscribendi, in Mycrocosmi naturam, non minùs quam Astronomi in antiquum Macrocosmi Systema altius inquirere ceperunt, ac in humanis corporibus harmoniam, conspectabilem quoque si labeat, demonstrarunt, quæ ex perenni motu sanguinis, lymphæ, chyli, bilis, nervi laticis, spirituum animalium, aliorumque fluidorum consurgit, postquam principiorum viscerum, & vel minimæ partis  
me-



mechanicum est patefactum Artificium, quomodo Cor motu systaltico, tanquam bonus diribitor singulis partibus alimoniam dispenseret, quomodo cerebrum è puriori sanguine arterioso æthæreos spiritus chimico magisterio eliciat, qui fibras inflando in corporis humani Machina tam varios, ac diversos motus efficiant, quomodo organa pneumonica vestalem ignem in massa cruoris hospitantem follium adinstar exacuent potius, quàm sufflaminent, quomodo stomachus ingestum cibum in liquamen ptisanæ cremori persimile ad paucas horas dissolvat, quod ad plures dies culinaris ignis præstare non posset, quomodo jecur bilem, renes serum, lien peculiorem succum, glandulæ succos quosdam è massa sanguinea secernant; quomodo fiat in utero muliebri conceptio, h. e. humanæ generationis ab ovo historia, summatim, postquam humani corporis vera, & naturalis œconomia antea ignota, & obscura in apertissima luce apparere cœpit, tunc medicinæ splendor visus est languescere.

Ubi ergo tot inventa, tot ingeniosa excogitata ad Medicam Praxim accommodari cepta sunt, non tamen sine jurgiis, & contentionibus inter medentes ipsos, tunc Viri erudi-



diti, ac docti, dum ægrotarent, aut aliquem  
 domesticis decumbentem haberent, antea  
 assueti Medicos audire, qui morbos quoscum-  
 que, & remedia quoque ad primas illas, ut  
 vocant, elementorum qualitates referrent,  
 ac si quid abditum in morbis occurreret, ad  
 publicum ignorantie asylum, occultas scili-  
 cet qualitates, promptum haberent effugium,  
 alexipharmaca cujusque generis, ac sine de-  
 lectu exhibendo, & soliti audire, laboran-  
 te capite secundam cephalicam, hepate basi-  
 licam, affecto liene tundendam lienarem ve-  
 nam, ubi vires non satis constarent secan-  
 dam salvatellam, ubi purgatione opus esset  
 exhibenda pharmaca, quæ genio quodam  
 nunc potius, quàm alium humorem elicerent,  
 multùmque consueffent audire, de quibus sus-  
 picari penè religio fuisset, ac postea cum ab  
 ingenuis, & cordatioribus medicis intellige-  
 rent rem aliter se habere, ab aliis nimirum  
 fontibus, quàm à frigido, calido, sicco,  
 & humido derivandos, tum morborum cau-  
 sas, tum remedia in malignis morbis, nisi con-  
 stet de natura humoris deleterii, num san-  
 guinem coagulet, ac dissolvat, periculo-  
 sum esse tumultuarium alexipharmacorum u-  
 tum, pharmaca vi electiva non esse prædita,  
 nec



nec aliud , quam stimulorum munus præstare , in phlebotomia , non ideò laborandum circa venarum delectum , perinde esse à basilica , ac à cephalica sanguis mittatur , salvatella plus sanguinis arteriosi , quàm venosi educi , ideoque vires magis debilitari revulsionem per venam lectam non esse tantarum virium , ut olim creditum , sed tandiù perdurare cum vena sit aperta , monumentum Scriptorum , magni alioquin nominis , à Juvenibus cautè legenda , ne falsis morborum theoriis imbuantur , nunc verè necessarium esse methodum vitandorum errorum , multo magis , quàm temporibus Sanctorii olim celeberrimi in hoc Gymnasio Professoris , multaque alia hujusce generis ; tunc in ancipiti docti homines quoque ceperunt esse an Medicina revera existat , aut Ars sit illusoria sic quantum ficti , & fabulosi Medicæ Arti et detractum , tantundem gloriæ , & existimationis illi est ademptum

*Quid labor , aut benefacta juvant , quid i  
abditæ quoque*

*Naturæ fecisse viam ?*

exclamare liceat cum Poeta , quid profuit tot victimis ex unoquoque animantium genere , magnis , parvis , minimis mactatis , ac ritu-

lu-



Iustratis veritati litasse, ut morborum curationes auspicius institui possent. Non ita sane Navigatoriae, & Militari Disciplinae evenit, quales Artes, si dubios eventus, quibus & ipsae sunt obnoxiae, spectemus, Medicinae valde cognatae sunt. Navigatoria etenim sola Magnetis ad Polum conversione, antea inobservata magnum sibi gloriae Theatrum aperuit, Oceanum scilicet totum ad Indos utroque extra anni, Solisque vias magna felicitate peragrandum; Militaris autem Disciplina tormentarii pulveris vi fulminante reperta summum gloriae, & honoris culmen jam attingisse visa est, adeo ut si egregiis Bellatoribus, qui olim in oppugnandi Arcibus, magna nominum suorum celebritate vixere, modo daretur reviviscere, qualem Demetrium Poliorcetem propterea dictum fuisse praedicant, cujus Machinae ob vim cuncta diruendi, & ob elegantiam quoque ipsis hostibus terrori, & oblectamento erant, ac modum, quo nunc bellum geritur, & Arces munitissimae expugnantur, contemplari, suas Catapultas, Arietes, Vineas, aliaque machinamenta, ac simul Vegetium suum, aliosque Scriptores riderent. Solum ergo Medicinalem Artem fatum istud manebat, ut post-



quam fucòs exuit, & simpliciore cultu, ac matronali facie in publicum prodire cæpit, vi-  
lior, & despiciatior haberetur.

An ergo satius fuisset, si tot inventa, tam egregia, tam frugifera Orbi Literato nunquam innotuissent, seu qui primi perscrutando illa observarunt, ea in sinu suo taciti continuissent, ac moriendo secum contumulascent, ne Reipublicæ medicæ statum satis quietum perturbarent. An consultius egisset Galilæus Vir sane Lynceus, si solus inter densiores noctis tenebras suo Telescopio lebeasset, novos Planetas nulli mortalium antea visos, & minutam Syderum plebem, quæ Galaxiam efficiunt, contemplando, ac antequam è vivis excederet, tubum illum opticum in Cœlum inter Asterismos transferri dignum in frustra confregisset, ne vulgarem Planetarum Theoriam apud Astronomos everteret. At si qui annis mille ante nos vixere, suorum temporum inventis contenti degissent, nec quicquam novi pervestigare, aut adiicere inventi non pertentassent, anne Artes adeò cultas haberemus, quales modò sunt, & ex quibus tot confutanda, tot beneficia nobis proveniunt? O quam egregiè in hanc rem Venusinus Poeta.

Quòd



*Quòd si tam Græcis novitas invisa fuisset  
Quam nobis, quid nunc esset vetus, aut quid  
haberet*

*Quod legeret tereretque viritim publicus  
usus.*

Haud sum nescius, novitate omnes qualescumque sint vel solo nomine suspectas esse, & malè audire tam in Physicis, quam in Politicis, ac præsertim ubi consuetudinem aliquam, quæ ob temporis longitudinem inquamdam veluti naturam abjerit, infirmare, aut abolere valeat. [a] *Quæ ex longo tempore consuetæ sunt, etsi deteriora sint, insuetis minus mole-  
stare solent, agebat Præceptor noster.* Sic olim Populo Israelitico in desertis Arabiæ degenti manna, cibus æthereus gratiam quamcumque redolens, molestiam pariebat. Nauseat anima nostra super cibo isto levissimo, exclamabat gens illa Ægypti alliis, & cæpis assuetæ. Sed quid agendum, ubi parva incommoda beneficiis pensantur? Audendum est, & erroribus popularibus fortiter obstandum, si tamen novitates, quæ afferuntur, solidis, & inconcussis rationibus, atque etiam experimentis sint suffultæ, sin verò dubiæ, & incertæ, tamquam pestes respuendæ, ut quæ pa-



blicam quietem evertant. O quam rectè in hanc rem Poeta Philosophus. (a)

*Desine quapropter novitate exterritus ipsa  
Expuere ex animorationem, sed magis acro-  
Judicio intende, & si Tibi vera videtur  
Dede manus, aut si falsa est, accingere contra.*

Cum autem celebriora recentiorum inven-  
ta, ubi primùm prodire, tanquam etero-  
doxa, & monstruosa dogmata à magnis in-  
geniis excussa, & cribrata fuerint, ideò-  
que extra omnem controversiæ aleam sint  
posita, ut nullum oppugnatorem, qui fa-  
piat, amplius reperiant; mirari subit, cur me-  
dicina pristino splendori nondum fuerit re-  
stituta, imò cur splendidior, & gloriosior,  
uti par esset, non emerferit, sed adhuc in suo  
squallore penès hominum opinionem negle-  
cta. Verum in aures mihi infusurrari sentio,  
Medicinam Theoricam, ut quæ Theoremata  
sua Mathematicorum in morem demonstrare  
possit, unà cum cœteris scientiis in decimo  
quarto gradu posse consistere; Practicam  
verò utpotè incertam, ac dubiam in infimis  
subfelliis adhuc degere, magna jacta fuisse  
fundamenta, sed tam solidam Praxim non  
fuisse adhuc superstructam, ut medentes mayo-  
ri

(a) *Lucret. lib. 2,*



ri securitatē, quā olīm morborum curationes suscipiant, nisi forsan meticulosiores sint, ac sibi, suisque remediis magis diffidant. Magnam esse Praxis Medicæ inconstantiam, ut ad singula ferè lustra medendi modus, & remedia immutentur, post tot conatus, post tot exanthlatos labores adhuc pronunciari posse, quod olīm scripsit Celsus, nimirum quod cum in morbis multū fortuna conferat, eademque sæpè salutaria, sæpe vana sint dubitari posse, secunda valetudo medicinæ, an corporis beneficio contigerit. Verū quam facilè prava quædam ingenia ad culpam, & vituperationem facilè detorquent ea, quæ erant commendanda; en quomodo prudentia, & matura deliberatio, quæ duo potissimum in bono Medico desiderantur ad timiditatem, & impotentiam traducuntur, majori utique securitate morborum curationes aggredimur, quia magis cautè, quia minùs prosperè, quā olīm. Anne dum agitur de humano corio, ludus est magna remedia administrare? anne idem est hominum, & talorum jactus. Non eadem certè, ac tanta est hisce temporibus de remediorum vi, & potestate confidentia, & credulitas quanta olīm; norunt quippe horum temporum periti



Artifices, quantas subeant mutationes propinata remedia, & quàm variis, ac diversis succis permisceantur, ex una in aliam Provinciam demigrando, antequam eò pertingant, ubi laboranti parti, cui destinata sunt, succurrant.

Sit autem, quod inficiari nefas esset, medicinam Theoricam admiranda præstitisse, cum hominem homini ostenderit antea sibi ignotum, cum naturalem humani corporis œconomiam patefecerit, atque morborum theoriam maximè illustrarit, in hac tamen tam grandi rerum mutatione Practica Medicina sibi non defuit, dum veram medendi methodum, & rectum remediorum usum ad inventorum normam moderari, & aptare didicit. Quid enim profuisset, jacta fuisse tam foecunda semina, nisi facultas extitisset, quæ ex illis uberrimam messem collegisset. Quantum ergo Theorica eloquio præstat, tantum Practica opere excellit. Ego quidem purum, & putum Theoricum Philosophum potius, quam Medicum appellarim. Vir quilibet doctus, & eruditus stans in littore de marini æstus causis, & alterna fluctuum statis horis reciprocatione, de ventorum potestate de turbinibus, ac procellis novit egregiè dis-

se.



ferere, anne propterea Nauta dicendi est? qui stans in puppi gubernaculum in mari medio tenens ingruente tempestate, remiges, & operarios ad fortiter remis incumbendum hortatur, qui maris, & Ventorum rabiem eludit, qui scopulos naufragiis infames, & Syrtes declinat, qui Navem licet quassatam salvam tamen in portum adducit, hic verè Nauta est, ac dici meretur. Quàm levia porrò sunt, quæ de remediorum incerto eventu, & Medicæ Praxis inconstantia objectant? Vel- lent exigere id, quod Ars nulla præstare potest, omnimodam nimirum Operis certitudinem. Num qui cum hoste configit, de victoria semper est certus? num qui solvit e litore securus est, ut Navem in portum adducat? Non habet meherclè Practica Medicina absolutam certitudinem de remediorum felici eventu, certa tamen est de illo, quod in hoc, vel illo affectu agere, & tentare debeat, atque idipsum est, quòd ajebat Celsus, *nimirum quod cum perpetuum sit id, quod fieri debet, usu tamen perpetuum est id, quod sequi convenit.*

Quo ad medicæ Praxis inconstantiam, & remediorum ad singulos lustra mutationem attinet, Videte quæso, opponunt, quod per-




fectionis argumentum est; mutantur persæpè remedia, seu remediorum materia, quia ex Artificum usu, & industria meliora, & tutiora suppetunt. Nonne hoc idem uluvenit cunctis, & liberalibus disciplinis, & mechanicis quoque, ut nova instrumenta ad operis, quod intenditur, majorem perfectionem obtinendam reperiantur.

Quamvis igitur Artis medicæ olores, dum Theoricam adeò exaltant, ac de Practica tam humiliter sentiunt, medicinam discerpere contendunt, animum tamen, Generosissimi Juvenes, despondeatis nolim, & in hoc ultimo stadio cursum remittatis, imò totis viribus in hac Palæstra exerceri vos cupio, si studiorum metam contingere, Laurea decorari, si Parentum vestrorum vota implere optatis. Pensum verò meum, quod attinet, cum de morbis particularibus à Capite exordiendo agere debeam, in id potissimum connitar, ut Practicam medicinam rationalem vobis tradam. Quantum ad Artis decus, & boni Practici famam comparanda m conferat apud Literatos, & eruditos homines, quibus postea vulgus auscultat, promptas, ac in numerato, ut dici solet rationes eorum, quæ quis moliri intendat, habere, vix potest intelligi, neque satis



vobis commendare possum. Aristotelem, quum  
 fortè ægrotaret, referunt, Medicum, quem ac-  
 ciri iusserat, ut ab illo curaretur, pharmacum  
 præscribere volentem, nulla ratione allata,  
 adducto supercilio hisce verbis graviter in-  
 crepasse: *Nunquid bubulco mederi te putas, ratio-*  
*nem prius ediffere, cur mihi necesse sit pharmacum*  
*bibere, si me vis tibi facilem, & obsequentem ha-*  
*bere.* Ea est apud Sapientem hominem vis ra-  
 tionis, ut subitos animi motus temporis mo-  
 mento componat, rectè propterea Divinus  
 Plato rationem *incantamentum animæ* appella-  
 vit. Vos igitur, Studiosissimi Juvenes lectioni-  
 bus, quas favente Deo sumus habituri, fre-  
 quentes, ac attentos peropto, atque ex-  
 pecto.







D E

# CONTAGIOSA EPIDEMI A

Quæ in Patavino Agro , & tota ferè  
Veneta Ditione in Boves  
irreplit

DISSERTATIO

SERENISSIMO VENETIARUM DUCI  
JOANNI CORNELIO  
D I C A T A.

**N** Unquam sanè paucas hasce paginas Am-  
plissimo Nomini Tuo , SERENISSIME  
PRINCEPS , fuisset ausus inscribere , nisi credi-  
dissem , temerarium opus non esse , si , quod in  
bac Constitutione bubulo generi adeò infesta , ac  
mortifera ab universo hujus Civitatis Medicorum  
Collegio exegisti , privatus aliquis , ex eodem ta-  
men ordine , idem præstaret , & quod sibi proprii  
ingenii tenuitas dictasset , SERENITATI TUÆ  
Spon-



*Spontè offerret. Nemo non novit, quàm magna  
 & admiranda sit benignitas Tua, quæ CORNE-  
 LIÆ Domus propria est, & gentilitia, sic ut ne-  
 mo obsequia præstandi causa ad illam accedat  
 quin summa voluptate, & ampli patrocinii sp-  
 cumulatus abeat. Dissertationem banc igitur  
 meam, quam in Patavino Lyceo de hac Bour-  
 clade, nuper habui, Typis tradere, & SERE-  
 NITATI TUÆ reverenter sistere non dubitavi.  
 In illa præter remedia, quæ tum ad curationem  
 tum ad præservationem salubria fore credidi, &  
 quæ partim etiam profuisse sum expertus, Metba-  
 dum aliquam pro illorum administratione proposui  
 ab acri judicio, quo polles, ut spero, non impro-  
 bandam, si tamen TIBI in tam grandi rerum  
 mole vocabit legere; sed forsitan vacabit, quando  
 non postrema cura TIBI est, Boum incolumitati  
 hoc est publicæ felicitati, prospicere. Quanti fa-  
 cerent Veteres Agrorum culturam, quæ sine Boum  
 labore stare nequit, satis loquuntur prisca monu-  
 menta. Primi Romanæ Urbis Conditores, desi-  
 gnatis aratro mœnibus, amplificandæ rei, con-  
 servandæque causa, cogitandum in primis duxe-  
 runt, de maritandis Ordinibus, ac de Bove  
 aratore. Sic illorum Nepotes, agricolationis adeo  
 studiosos fuisse legimus, ut post debellatos hostes,  
 post actos triumphos, à Curia ad Agros colendos  
 se-*



cederent, ubi eadem diligentia arva dispo-  
 nebant, qua Castra, gaudente Terra laurea-  
 to Vomere, ac triumphali Aratore. Postquam  
 autem res Romana ad summam potentiam de-  
 venit, & in cultu esse coepit Ars regnandi: Con-  
 sules, & Imperatores ex Arationis, & rei fru-  
 mentariae procuratione ad frequentissimam Urbem  
 plendam sibi, communes plausus, & Nominis im-  
 mortalitatem captarunt, uti apud rei nummariae  
 studiosos videre est in C. Marii C. T. nummo,  
 in quo Boves juncti, atque in argenteis, ac aeneis  
 Vespasiani jam Imperatoris, Cos. VIII. in quibus  
 iugati Boves spectantur. Non uinus autem SE-  
 RENITATITUÆ, & Gloriosissimæ VENETÆ  
 REIPUBLICÆ, Romanæ Virtutis soboli, anno-  
 ræ studium cordi esse, quàm olim priscis Roma-  
 nis, palam faciunt tot edicta, ac tot Clarissimi  
 Viri delecti ad coercendam feritatem, atque in-  
 solentiam hujusce morbi, qui nullam Bobus securi-  
 tatem, neque sub ipsis Urbium mœnibus, nec intra,  
 vult pacisci, imò illos in ipso Civium conspectu  
 iugulat. Tam miserandi excidii Spectatrix qui-  
 dem esse nequit Urbs Adriæ Regina ( ut enim  
 Mundo singularis esset, Pomœria habere non debuit,  
 nec ut aliæ Civitates præfixos magnitudinis ter-  
 minos ) hæc omnia tamen intelligit, doletque tam  
 graviter Continentem affligi, unde tanquam à  
 pe-



*penu uberrimo depromit, quæ Menjas optimas atque  
 bilares faciunt, sed fudit, speratque cura ac so-  
 licitudine Tua, PRINCEPS SERENISSIME  
 voracem hanc flammam extinctam iri, & prist-  
 nam felicitatem redituram. Sic TE diu, & plu-  
 rimùm sospitet Summus temporum, bonorumque  
 omnium Dispensator, nec TE ex hac mortali Vita  
 revocet, nisi post longam annorum seriem, pu-  
 blicis rebus in summa prosperitate relictis.*

## SERENITATIS TUÆ

**Dabam Patavii Die 12. Decemb. 1711.**

*Humillimus, Observantissimus, &  
 Addictissimus Servus, & Cultor  
 Bernardinus Ramazzini.*



# ORATIO

## DECIMATERZIA

*Habita Die 9. Novembris MDCCXI.*



I veri speciem præfert, quod vulgò dici consuevit, & apud Sapientes quoque receptum, Consuetudinem vim quamdam legis obtinere, ut, qui illam violarit, si non plecti, laudari tamen haudquaquam mereatur, qualem mihi legem ipsemet imposuerim, modò quamvis erò nimis agnosco. Etenim cum annus iste secundi Sexennii, ex quo in hoc celeberrimo lyceo Practicam Medicinam profiteor, sit complementum, ac quotannis in solenni Studiorum Instauratione, ut diù feriatam Juventutem ad Studia capeffenda allicerem, Oratione aliqua proludere consueverim, nunc mihi jam effoetis corporis atque animi viribus, quando ætas prædatrix omnia secum auert, magnum onus incumbere video, si consuetudini meæ nondum interruptæ obsecundare



re velim, ac vestram expectationem non omnino fallere. Audendum tamen ratus, in unum coactis, qui supersunt spiritibus, ita me comparaveram, ut quod antea præstiteram, hoc anno quoque pro viribus præstarem. Porro aliquot igitur meditationes, argumentum non incuriosum, ut reor, nactus fueram, circa quod ingenii mei vires exercebam, cum præsens hæc autumnalis Constitutio præter modum insolens, atque ominosa, Opus, quod moliebar, & ad umbilicum penè deduxeram mihi è manibus excussit, & aliud argumentum à Medicis amœnitatibus longè diversum suscipere coegit, vestra tamen attentione A. O. non indignum. Nemo non novit, quam inopinatè, quam violenter Bubulum genus dira Contagio pervaserit, flammæ adinstar, quæ ope nulla humana consopiri, ne dum restingui potuerit. Hæc primum quidem in Vicentino Agro subobscurè observari cepit, mox in Patavinum transgressa, apertè se prodidit, at longè latèque effusa, usque ad ipsa Urbis Pomæria, tam magnam, ac horrendam Boum stragem edidit, ut tum Rura, tum Civitatem moerore, ac metu complerit. Moeret rustica Plebs, imò stupet attonita, dum amplius Bovilia vacua, ac deserta intuetur, dum quoti-



tidie ferè Tumulos adspicit, in quibus sepulta sunt Fortunæ suæ pignora, propriis natis forsan etiam cariora, dum Bobus extinctis, Equos ad Frumenti saturationem parum aptos cogitur sufficere.

*Quid labor, aut benefacta juvant, quid vomere terras*

*Invertisse graves?*

Sic miserandam Agricolarum sortem deflere libet cum Poetarum Principe, qui tertio Georgicorum huic non absimilem Boum cladem carmine descripsit. Mœrorem dissimulare nequeunt Cives, & Nobiles Viri, dum Prædia sua, & Villas, præcipuo ornatu, & patrimonio orbatas intelligunt, atque etiam vident. Tristatur, ac dolet Plebs urbana, dum Annonæ, rerumque omnium, quæ ad victum spectant, charitatem brevi secuturam prænoscit. Nemo est igitur, quæcumque sit ejus conditio, qui damnum aliquod non sentiat, & graviora quoque non timeat. De hac igitur tam portentosa Boum clade hodierna hac mea Dissertatione, seu potius prælectione, quam hoc Anno ad tractatum de Febribus, ac præsertim de Febre maligna, ac pestilenti, sum habiturus, verba facere constitui, hujus morbi Indolem, causas pervestigando, & quibus



remediis illi obviam sit eundum .

Nec obtrudat quisquam, in hoc tam celebri Lyceo, ab hac Exedra, quæ ordinis sui primatum obtinet, indecorum esse pro Hippocratica doctrina M. Varronis, Palladii, Columellæ, Vegetii, aliorumq; Veterinariæ Artis Scriptorum documenta tradere, regeram enim ego, magnum Hippocratem, cui nullius rei scientia vilis habita est, non puisse de Boum morbis verba facere, in Libro enim de Articulis rationem adfert, cur Bobus tam facilè contingant femorum luxationes; Præterea si Congruentia, quæ omnibus in rebus momentum habet non leve, hic quoque suam meretur animadversionem, tractatio de hac Boum Epidemia nostri muneris est, Illustrissimi, & Spectatissimi Professores, Vobis quæso succurrat, quonam in loco nos simus, & professorium munus exerceamus? Nonne in Lyceo, cui à Majoribus nostris Bovis nomen est inditum? neque inauspicatò, quando Bos iste sui mugitibus, hoc est Doctrinæ robore totum literatum Orbem implevit, ut nulla pars sit tam longè dissita, quæ ad illius celebritatem non reboet, ac ubi non colatur magis illius nomen, quàm olìm Serapis in Ægypto . Si ergo sub signo Bovis

mi-



militamus, si Bos iste nos pascit, quis erit tam vecors, seu tam malignæ Indolis, qui indecorum putet provinciam hanc suscipere, quam detrectare velle impium, & nefas esset; eoque magis, quò ab Excellentissimo Magistratu, qui sanitatis tutelæ Venetiis præsidet, ac proptremò ab ipso SERENISSIMO PRINCIPE demandatum est celeberrimo huius Civitatis Medicorum Collegio, seriò exquirere, quænam sit huius morbi conditio, quæ causa, & quibus præfidiis ferocienti in dies malo possit occurri.

Affectionis genus, quod Bubulo generi bellum ad internecionem usque videtur indixisse, ex frigore, rigore, horripilatione, mox ex calore acri, & vehementi per universum Corpus diffuso cum pulsus frequentia, febrem esse fatis liquet, malignam verò, exitialem, pestilentialem etiam, si mavis, esse apertè testantur, quæ illam comitantur symptomata; qualia sunt, magna anxietas, & gravis anhælitus, etiam cum stertore, & in principio febris, stupor, & species quædam veterni, continuus ex ore, & naribus graveolentis materię descensus, fætidissima alvi proluvies, interdum etiam cruenta, anorexia, & abolita penitus ruminatio, pustulæ quinta, vel sex-



ta die per totum corpus erumpentes, ac tubercula variolarum speciem referentia, communis tandem omnium eodem modo circa quintam, & septimam interritus, cum Boves paucissimi evadant, iique sorte potius quidam, quàm remediorum dynami. Hæc quidem ex se patent, quid verò intus patiantur miserandi Boves, cum jacent anxii, ac stertentes, ac dum stant immoti, capite usq; ad terram demisso, conjectare quidem possumus, sed ex mutis animantibus, quæ per nutus nihil significare possunt, nil certi rescire possumus, quod forsan in causa est, ut difficilior sit curatio. Causam igitur hujusce malignæ febris pro viribus perscrutemur.

Omniibus epidemiis, si à sporadicis affectibus differre debent, id peculiare inest, quòd communem causam habeant, sive ab Aeris vitio, sive à corruptis alimentis, aut ab aliquo contagioso fomite prognata fuerit, qui ab uno corpore in aliud transmigret, illique eandem labem communicet. Dissimulare quidem non licet, tempestatum hujusce anni non ad eò legitimam fuisse temperiem, juxta illarum naturam, Æstatis præsertim, quæ Veris speciem præferre visa est, non admodum latrante Syrio, nec Cicadis arbusta rumpentibus



Annus tamen in universum non infalubris fuit, neque multum in quæstu Medicis, ac Pharmacopolis, nec solum in hac Civitate, sed in aliis quoque, & in traspadana regione, ut per literas accepi, ut parum verax visus fuerit Hipocrates, quòd *cum æstas veri similis est, autumnales morbos expectare oporteat.* Nulla in aere à Meteoreleschis portenta visa sunt, nulla in herbis, & frugibus apparuere rubiginis signa, quemadmodum Anno elapso, quo carbunculari morbo laborarunt fruges, nec tamen noxam ullam persensere Armenta, & Pecudes; in fructibus tum Æstivis, tum Autumnalibus, qui omnes ferotini fuere, nullæ deprehensæ sunt notæ, quas nebularum uredo inusserit.

Cælum equidem non consului, ut viderem, num ex aliquo maligno astrorum influxu, pestilentia bubuli gregis causam divinare liceret, ut ex Saturni cum Marte syzigia, in Tauri signo; quemadmodum olim Marsilius Ficinus, in Consilio quodam Tusco Sermone edito, ut ab omnibus intelligeretur, Pestis quæ Anno 1478. totam Hetruriam, ac precipuè Florentiam, depopulata est, causam retulit in conjunctione Martis cum Saturno in signo humano [quasi Asterismorum in



hæc inferiora virtus ab inditis nominibus esset petenda, ut si fortè hujusmodi conjunctio observaretur in signo Arietis, aut Piscium, posset aliquis ovilli generis, aut marini populi excidium prædicere.] Sed postquam, cum Juvenis essem, Pici Mirandulani libros adversus Astrologos legi, Judiciariam à studiis meis valere jussi. Aerem itaque, & pascua ab hoc crimine, quòd hujus morbi in causa fuerint, absolvere fas erit. Quis enim unquam sibi persuadeat, campos, & prata, talem ab Aere humorem combibisse, qui solis Bobus tam dirum esset venenum, cœteris verò animantibus, quæ easdem herbas pascere, esset omninò innoxius? Aliam igitur causam comminisci oportebit, quam nonnisi à contagioso fomite licebit deducere, cujus rei non simplices conjecturas, sed argumentum habemus apodicticum.

Jam satis constat, & in acta publicâ relatam, ex Boum turmis, quos è Dalmatia & conterminis regionibus, mercatores in hæc loca solent adducere, Bovem unum à cœteris secesisse, qui à Bubulco repertus, & perductus in latifundium Illustrissimi, & Reverendissimi Comitum Trojani Borromæi, Can-

no.



nonici Patavini, pro hospitio, eadem labe, qua erat infectus, hospites suos foedavit, illo enim paucos post dies mortuo, paulatim eodem morbi genere omnes miserè periere, uno tantum superstite, cui in collo factum fuerat setaceum. Casus iste totam viciniam perterrefecit, sed nulla juvit diligentia, ut domus suas, & caulas à flamma nimis vicina præservarent. Isthæc itaque contagio paulatim serpens, totam Patavini agri amplitudinem brevi pervasit, quin postremò Padum transgressa, Æmiliæ Populis, idem minatur excidium.

Quoniam autem morborum seminii ea est indoles, ut facilè sobolescat, & in immensum se propaget, si in subjectum proprium, & mumiatum, ut vocant, incidat, cujus rei amplissimum specimen habemus in lue gallica, quæ ex Indiis occidentalibus, a paucis navigantibus ad nos delata, Italiam primò, mox universam Europam, foedissima, & ineluibili labe citissimè inquinavit; Non est, quòd miremur, si per aporias, & effluvia, quæ ad modum atmospheræ expirant à Bobus Ægris, ab extinctis, à Stabulis, à Pascuis, quæ ipsimet Boves pascendo infecerint, promptius autem, & faciliùs ab ipsis Bubse-

T 4

quis



quis, & illorum vestibus, ( pesti enim volupe est, in lana molliter cubare ) non est inquam, quòd miremur, si hæc contagio tam longè, latèque se se effuderit. Ubi igitur hæc Aura venenata subtilissima Bovem aliquem antea sanum afflarit, spiritibus vitalibus, & ferroso latici se consocians, dum in Orbem agitur, naturalem sanguinis consistentiam lædit, & viscerum fermenta corrumpit; quare naturales viscerum functiones paulatim vitari, & debitas excretiones coerceri necessum est, quod paulatim fieri fas est credere, non enim subitò, ac Bos aliquis venenum istud hauserit; vel quoquomodo illud suscepit, non illicò inquam, virulentiam persentit; ut qui à cane rabido commorssi fuerint, ad longum tempus sibi sani videntur, at postea ex improvisò, ad aquæ conspectum palam faciunt, quàm dirum venenum intus gestarent. Naturalem sanguinis consistentiam ab hoc contagioso fomite lædi paulò ante diximus, suppono etenim, imò pro certo habeo, venenum istud esse de illorum genere, quæ sanguinem potius figant, & coagulent, quàm dissolvant; id primum testantur symptomata, quæ febrem comitantur, nempe anxietas, gravis anhelitus, stertor,



& stupiditas, ocularis quoque inspectio, dum à Laniis Boves extincti dissecantur, qui licet adhuc calentes parum, aut nihil sanguinis effundunt. Bos præterea piger, ac tardus ex sua natura est, & Carnes habet duras, & graves ad stateram, ut ait Hippocrates, data nimirum paritate molis ad carnes cæterorum Animalium, idcirco illius sanguinem talem esse oportet. Taurinum sanguinem inter venena recensuit Dioscorides eò quod epotus ad coagulationem in stomacho sit facilis (a), Prævotius autem propter flatulentiam: Themistoclem sanguine taurino calido epoto sibi mortem conscivisse, ex Plutarcho, in ejusdem vita habemus. Mirum itaque non est, si venenatus hic fomes in hujus animantis genere sanguinem ex sua natura crassum coagularit. Hanc cruoris concretionem in malignis febribus observarunt Scriptores, uti Petrus Salius, qui refert in quadam ex maligna febre extincta repertum fuisse in Arteria magna sanguinem ita concretum, (b) ut præbenso illius sanguinis altero principio, totus sanguis coalescens, ita integer eductus fuerit, perinde ac gladius è vagina extrahi solet. Idem quoque

(a) Lib. 6. cap. 25.

(b) De febre pestil. & syncop. card. c. 4.



que aliquando *in pestilentiis accidere* testatur Richardus Lover in tractatu de corde (a) : Nisi autem talis esset in hac Epidemia sanguinis conditio, non protraheretur ad tot dies febris; ubi enim sanguis est nimis dissolutus & vis deleteria humorum corruptioni prævallet, febrilis calor est adeò mitis, ut ægri interdum se febrire non putent, sed citissimè intra unam, vel alteram diem occumbant. Postquam igitur fermentificus, & pestifer hic fomes per venas, & arterias tanquam per cuniculos totum corpus peragravit, tunc tanquam hostis ex insidiis erumpens feritatem suam patefacit, febrem malignam excitando, quæ intra quintam, aut septimam lanienam suam absolvit, indiscriminatim Boves aratores, Tauros, Vaccas, Juven-  
cos, Vitulos jugulando.

Hujus autem Pestis primam originem, num Bos ille peregrinus eam aliunde suscepit, vel in ipso primùm genita fuerit, exquirere ad rem nostram parum refert. Necesse est enim quemadmodum in libro de Contagione tradit Fracastorius, ac pariter Joseph Aromatarius in libro de rabie contagiosa, quòd ad aliquod Animal tandem sit deveniendum, in quo pro-  
du.



luctum fuerit morbosum seminium . Extra  
 nim controversiam est, non solum in Brutis,  
 sed etiam hominibus per varios corruptionis  
 gradus, generari posse venena, ac talis na-  
 turæ humores, qui ad alia corpora symbo-  
 lica, & analogia facile transeant : sic qui ta-  
 le pulmonari laborant, consanguineos suos  
 facile inficiunt, si cum illis consuetudinem  
 habeant; Lippitudinem contagiosam esse ve-  
 tus est observatio.

*Dum spectant oculi laesos, læduntur, & ipsi,  
 Multaque corporibus transitione nocent.*

In Boum cadaveribus, quotquot Lanionum  
 necespitæ subiecta fuere coram Excellentissi-  
 nis Anatomes Professoribus D. Molinetto, &  
 Viscardo, id singulare in omnibus repertum  
 est; in Omaso nempe, corpus quoddam du-  
 rum, & compactum, ventriculi parietibus  
 fortiter adhærens, magnæ molis, & intole-  
 randæ graveolentiæ; in aliis verò partibus  
 repertæ sunt hydathides, in cerebro, pulmo-  
 nibus, sicuti etiam ingentes vesicæ solo flatu  
 plenæ, quæ dissectæ diram Mephitim exha-  
 larent, ulcera in radice linguæ, & ad illius  
 latera vesiculæ sero plenæ. Illud vero corpus  
 durum, & compactum ad instar calcis, quod  
 in Omaso observatur, primum productum esse  
 con.



contagiosi miasmatis, pro certo habeo, dum tacite sævitiam suam exercens, stomachicum fermentum labefactat, & corrumpit; non enim est credibile, post febrem excitatam conflare hoc corpus intra paucos dies, dum Boves, ubi primum febrile coeperint, quocumque alimentum averfantur, nec quidquam nisi liquidum per os infundi potest: ceterum verò, quæ memoravimus, malignæ febris producta esse, facile crediderim, sed omnium Phænomenorum exactam rationem adferre velle non patitur unius horæ ambitus; ampla enim materia suppeteret ad integrum tractatum conscribendum.

Verum ne amplius vos morer, A. O. ad eam properabo, quæ supersunt dicenda, conjectando nempe, quem finem habitura sit hæc contagio, & num aliquid gravius portendat ac quod magis refert, quid agendum. Quoad primum in hac Epidemia, idem, quod in cæteris evenire solet, secuturum existimo nimirum quòd post tot tentamina, tot experimenta, ac præsertim post observatam methodum, quam morborum Medicatrix Natura servat in iis Bobus sanandis, quos maligna febris non sustulerit, felicior curatio possit institui, ac forsan hujus veneni verum, &

spe-



pecificum remedium reperiri, quo malignum  
 illud miasma penitus extirpari possit. Leva-  
 nen quoque aliquod expectare licet ab adven-  
 ante Hyeme, ac à ventis aquilonaribus, qui  
 anquam Aeris scopæ australes flatus, pessimæ  
 semper indolis, procul abigant, quales venti  
 per totum Octobris Mensem dominatum ob-  
 inuere. Memoratu dignum est, quod de ven-  
 orum potestate supra humana corpora refert  
 Vitruvius. (a) *In Insula Lesbo (inquit ille) Oppi-  
 dum Mitylene magnificentè est ædificatum, & ele-  
 ganter, sed positum non prudenter. In qua Civi-  
 tate Auster cum flat, homines ægrotant, quando  
 Torus, tussunt, cum Septentrio, omnes in salu-  
 ritatem restituntur. Quantum sævierit Pestis  
 Octobris mense, Austro, & Euronoto flanti-  
 bus, satis vulgatum est, cum plures dies a-  
 leò nefasti fuerint, ut neque quotidianis he-  
 catombis, interdum etiam geminatis, furia-  
 lis hæc, & execranda febris mitior fieri, ne-  
 dum placari potuerit. Scio equidem, calo-  
 ri, & frigori morbos pestiferos non admodum  
 auscultare, cum aliàs fuerit observatum, in  
 summo æstu, & summo frigore pariter sæviis-  
 se hominum pestem; attamen cum feralis hic  
 morbus, qui celeris est motus, ortum habue-  
 rit*

[a] Lib. 1. cap. 6. de Archit.



rit æstivo tempore, incrementum, atque etiam suum acmin autumnali, sperare licet quod hyemali tempore finem, & sui desitionem, ope divina sit habiturus.

Num autem hic Epidemicus Bovini populi morbus longum in tempus perseverans, humanis corporibus labem aliquam affricare valeat, ut nonnulli suspicantur, non alienum est disquirere. Si in morbis malignis, qui rationum nostra persæpè eludunt, quidquam ponderis habent rationum momenta, sperare licet homines intactos, & illæfos relicturum esse; etenim si trium mensium spatio lues ista alia Ruminantia, & Cornigera non attigit quamvis inter ea magnus sit symbolismus nec Equos, Sues, ac alias Sylvestres feras hætenus quidquam læsit, non apparet ratio cur homines, qui ab istis Animantibus tam longè distant, debeat afficere.

Non sum nescius, inter futuræ pestilentia signa, quæ plurima sunt, recenseri solere non Boum solumodò, sed aliorumque animantium stragem, qualis ea fuit, quæ Ægypti nam insulam depopulata est, de qua Ovidius

*Strage Canum primò, Volucrumque Aviumque Boumque. (a)*

ac



ea, quam memorat Livius, quæ in Sicilia Romanum exercitum, & Chartaginensem enè delevit, de qua Silius Italicus (a)

*Vim primi sensere Canes, mox nubibus atris*

*Fluxit deficiens, penna labente, Volveris. [b]*

huius aliam non absimilem refert Dionysius Hæcarnassæus [c], quæ primò Equorum, Boumqueumenta invasit, mox pecudes, & alia quadrupedia gressa est, deinde Pastores, & Colonos attigit, totum Romanum agrum pervagata, Urbem invasit. Ast illorum temporum pestilentia non solis Bobus, sed in omnibus animantibus, & ipsis etiam Maris Piscibus non parceret, qualis ea fuit, quam Lucretius carmine descripsit, ) sævitiem suam exercuere, ut quæ ab Aeris vitio ortum duxissent; de quo non habemus, quòd suspicemur; in solis enim Bobus, & facilius in iis, qui habitiores, & piniores essent, quàm in gracilibus, hæc lues sumentum invenit, quo rabiem suam passeret. Magna tamen cautione utendum est in humulandis cadaveribus, terra altè defossa, quemadmodum publica edicta præscribunt, si quid enim timendum, præcipuè à nimia cadaverum copia, ex quibus minus aptè humas, ac postea putrefactis, redeunte Vere,

pra-

(a) Deca. 3. L. 5. c. 20. [b] Lib. 14 [c] Lib. 9.



pravi halitus Aerem inquinare possint, bonum autem esset, in loco inculto, seu in pratis quæ arationi non sunt subiecta, cadavera humare. Ubi enim de morbo contagioso agitur, nunquam satis cavemus, dum cavemus. Quoniam autem, solutis in liquamen Cadaveribus, necesse erit, terram subsidere censerem bonum esse, novam terram superingerere, illam coniiciendo graminis, aliarumque herbarum semina. [a] Refert Petrus Forestus, De phis apud Batavos Peste jam sopita, & cœmeterio Templi vetusti, cadaveribus oppleto habitam consultationem inter medicos, num Cæce, aut Lapidibus illud cœmeterium esset occidendum, ac decretum fuisse, ut multa terra superinduceretur, atque in eam varia herbarum semina coniicerentur, *ut crescente gramine, clausis spiraculis lues minus denuò suppuluraretur*.

Silentio tamen præterire non licet, observatam aliquando pestem in solis Bobus, postea secutam hominum pestilentiam; interdum etiam hominum Pestem in Boves terminasse. Primum exemplum habemus ex Livio, qui scribit, pestem magnam in Boves ingruisse, sequenti anno ad homines vertisse [b]. Scilicet cum.

(a) Lib. 6. obser. 25. in schol.

[b] Decad. 5. Lib. 1. cap. 21.



cundum verò apud Ripamontium Chronistam  
Mediolanensem, qui in Libro de Peste, quæ  
anno trigesimo exacti nuper seculi cispada-  
nam, & transpadanam regionem pessimè mul-  
ctavit, pestilentix hominum, pestem Boum  
subsecutam refert. Hisce tamen duobus mo-  
numentis totidem habemus, quæ opponamus,  
nec longè petenda. (a) Primum à celeberrimo  
Fracastorio, qui in Opere doctissimo de Con-  
tagione scriptum reliquit, Anno decimoquar-  
to supra sesquimillesimum diram pestem in  
solos Boves irrepsisse, quæ in tractu Foroju-  
liensi primùm nata, exindè usque ad Euga-  
neos, postmodum in Veronensem agrum,  
aliasq; Venetæ Ditionis regiones delata, ma-  
gnam Boum cladem ediderit eodem fermè  
modo, ac iisdem symptomatibus, ut hæc  
nostra illius soboles videatur. Alterum mo-  
numentum suggerunt nobis libri manuscripti  
Artis Lanionum, quibus non est deneganda  
fides, quales libri in hac Civitate asservantur,  
in quibus ad posterorum memoriam ab Anto-  
nio Faccio scriptum legitur, Anno nonage-  
simo nono ejusdem seculi, quo vixit Fraca-  
castorius, adeò gravem in Boves pestem graf-  
satam, ut publicis Augustissimi Senatus Ve-

*Tomus IV.*

V

neti

[a] Lib. I. cap. 12.



neti Edictis vetitum fuerit, ne Caro Bubula, Caseus recens, Butyrum, Lac sub capitali poena in hac Civitate divendi possent, sed solis carnibus Vervecinis vesci liceret; at tamen iis annis nihil sinistri, præter rei familiaris damnum hominibus obtigisse, certo scimus; habemus igitur, unde spes nostras alamus.

Utrum autem, grassante hac Epidemia carnis bubulæ sanæ creditæ adeò tutus sit usus, ut noxam ullam humanis corporibus non possit inferre, abs re non erit disquirere. Res equidem suspicione non vacat; etenim etiamsi Bos antequam ad lanienam ducatur fuerit observatus vegetus, atque hilaris, ac postea in illo jugulato, & excoriato, nullæ in visceribus deprehendantur corruptionis notæ, quæ in cæteris, qui ex hoc morbo intereunt, deprehenduntur, attamen certi non sumus, quòd Bos ille contagiosum fœmitem non gestaret, quod aliis etiam communicare posset; credibile est enim, paucos apud nos esse Boves, qui afflatum hunc malignum non persenserint, licet sani degant. morbo si enim feminii ea est subdola malitia ut hominum judicia non rarò fallat; persæpe enim evenit, ut qui illud in se continet, &

se-



secum circumfert, læsionem nullam sentiat, nec forsitan sensurus sit, in alium tamen ejusdem speciei possit facile transferre. Hujus rei exemplum habemus in gallico morbo; non rarò enim contingit, ut aliquis à muliere infecta luem suscipiat, nec quidquam sentiat, & Uxori postea eam communicet, sic ut illa paucos post dies gonorrhæa, vel bubone corripatur; ex quo fit, quòd non leves rixæ, & jurgia inter conjuges oriantur, & Uxor pudicitix suæ conscia virum maledictis incessat, quòd ab illo tam foeda labe inquinata fuerit, ille autem, qui se perfectè sanum agnoscit, nec quidquam de infectione suspicatur, de conjugis fide non parum dubitet (a) Qua de re legendus Paulus Zacchias, Mercurialis, Gaspar à Rejes (b). Circa esum carnis bubulæ memoratu dignum est, quod refert Theodoricus Skenkius in Hist. humor. gen. cap. 2. his verbis *olim decertatum Venetiis, & Patavii inter Lannios, & incolas, quòd illi ex Hungaria Boves advectos, emptos & mactatos in Macello venditaissent, quos tamen Cives lue quadam infectos fuisse noverant, cum fluxu alui cruento tentati pluriimi periissent, translato nimirum ab uni ad al-*

[a] Quæst. med. leg. Lib. 3. tit. 3. quæst. 6.

(b) De Morb. Gal. Camp. Elis. quæ. 60. n. 12.



terum contagio. *Hac de re consulti Medici Patavini, in ea fuere sententia, Carnes hujusmodi esui adhibitas innoxias esse, eò quòd esset contagium particulare, & specificum, ac omnis malitia fuisset emendata, ac discussa à prævía agitatione gymnastica, antequam Boves maculentur.* Contrariam opinionem sustinuisse Medicos Venetos tradit Christophorus Fridericus Garammannus in Opere suo eruditissimo de Mortuorum miraculis, eò quia carnes hujusmodi essent contagiosæ, & cadaverosæ. Fabius Paulinus Medicus Utinensis controversiam hanc dirimere aggressus est [a], suam enim sententiam dixit, nimirum si necessitas urgeat in cibum carnes vocare, sale, aut acetum prius probè esse macerandas, visceraque cum aliis interterraneis esse abiicienda, cum in iis causæ morbosæ focus, & Nidus existat, qualis cautionum sufficiat, & omnem dubitationem tollat, liberum cuique esto iudicium.

Quid ergo agendum in tam exitiali morbo qui bubuli generis extinctionem videtur interminari? In id unum incumbendum esse, persuasum habeo, ut per universalia alexipharmaca [ quando particulare, & specificum huius Veneni remedium non habemus ] miasma istud

(a) *Præl. Marcie.*



istud pestiferum extinguatur, aut saltem enervetur, ut natura roborata illud ad cutis ambitum ableget, atque extrudat, quando per ulcera, pustulas, & tubercula in iis Bobus, qui evasere, sponte excitata ipsamet natura, nobis indigitavit, qua via sit incedendum. Crediderim itaque, in curatione hujus malignæ febris ea Methodo procedendum, quæ à bonis Medicis servatur in curanda variolosa puerorum febre, distinguendo tempus ebullitionis à tempore expulsionis; tempore nimirum ebullitionis erit cautè utendum remediis calidioribus, nè intendatur calor febris, & plus æquo effervescat massa sanguinea, cui facilè succedit perturbata coctio, quam Natura rectrix intendit, qua in re non leviter peccatum esse censeo, cum hujus febris initio ad calidiora cardiaca ventum fuerit, & præcipuè ad vina meraciora cum multa theriaca; quare præposterum remediorum usum, stragem longè majorem edidisse censeo, quàm ferrem ipsam. Non desunt Medicæ Praxis docti Scriptores, qui in variolosis constitutionibus in principio febris præcipitantibus utendum esse volunt. Dum hæc sub prælo essent, apud amicum ea legi, quæ Illustrissimus D. Joannes Maria Lancisius Clementis XI. P. O.



M. Archiater meritissimus, ac Intimus Cubicularius perdoctè, & eruditè, ut solet in omnibus, de hoc morbo consultus, scripsit nam inter varia monita, hoc habet, quòd cardiacis acida sint maritanda. In Febris itaque principio moderatè agendum per alexipharmaca, in progressu verò morbi, & detumescationis, & expulsionis signis liberalius Bezoarticis utendum.

Ut autem ad remediorum materiam descendamus, quando id unum est, quod expetitur, & à nobis exigitur, nequaquam verò nuda verba. Quoad præsidia externa, sanguinis missio visa est improsperè cessisse, idcirco cœpta est omitti; nihil tamen sævitia suæ remisit morbus, imò truculentior factus est. Equidem in omnibus Epidemiis suspectum est Phlebotomia, sicuti purgatio, unde Celsus, *Sanguinem non facile mittere, alvum non facile ducere (a)*; in febre tamen variolosa passim mittitur sanguis, in pueris bimis, aut trimis per cucurbitulas scarificatas, & quibusdam in locis etiam per venam sectam, in principio tamen febris. In hac itaque Bourne febre, non salubrem tantum, sed necessariam fore venæ sectionem crediderim, ad sarcinam

mi-



minuendam , ut mitior fiat ebullitio totius  
 massæ sanguineæ , & per sua vasa circulatio .  
 Cum enim , ut diximus , Bovis cruor ex sua  
 natura sit valdè crassus , & ad facilem con-  
 cretionem pronus , atque venenum istud de  
 illorum sit genere , quæ massam sanguineam  
 coagulandi vim habent , quo , precor , remedio  
 laboranti Bovi , & anhelanti ob sanguinis con-  
 cretiones in vasis sanguifluis , in pulmone ,  
 in Corde , quàm per ipsam sanguinis missio-  
 nem promptius , & faciliùs poterit succuri ?  
 Animadversione dignum est , quòd lues ista  
 Boves robustos , & valdè obesos faciliùs cor-  
 ripiat , macilentos verò , qui vix ossibus hæ-  
 reant , prætergrediatur ; propterea in hac fe-  
 bre , quæ non absimilis est iis , quas appel-  
 lant inflammatorias ( quales sunt , quæ in  
 pleuritide , peripneumonia , angina observan-  
 tur ) sanguinem in fervorem actum , & alio-  
 quin ad coagulationem aptum , detrahere ,  
 salutare consilium erit . Clamitet autem ad-  
 ravim usque contra hanc operationem , quis-  
 quis velit , non enim video [ si tamen per ana-  
 logismum in curanda hac febre licet proce-  
 dere , ut in curatione febris pestilentis , quæ  
 homines corripit ] ego , inquam , non vi-  
 deo , cur miseranda hæc Animalia , dum fe-



biunt, & oculis lacrymantibus, opem aliquam quodammodo implorant, hoc magno remedio debeant destitui, morbi enim magnitudo, plethorica dispositio, ob pascua hoc Anno solito uberiora, phlebotomiam manifestè exposcunt, in principio tamen febris, dum vires validæ permittunt, quam doctiores Medici in febre pestilenti, uti, Senertus, Sep-talius, Antonius Ponce, Sancta Crux, Fracastorius, & alij gravissimi Scriptores admittunt. Certè vires horum animalium, in ipso etiam vigore morbi satis validas esse observavi, è stabulis enim educti, & per campos circumducti experiundi causa, num herbam aliquam velint pascere, robustè incedunt, & suæ libertati relictæ, ad stabula promptè recurrunt. Circa porrò venarum delectum, non adeò laborandum; ubi enim ad vasorum plenitudinem tollendam mittitur sanguis, parum refert, an ab hac, vel illa vena mittatur.

Inustiones quoque lato ferro candenti faciendæ in collo utrinque, sublata enim eschara, apparebunt ulcera, quæ vesicantium loco esse poterunt; aures quoque rotundo ferro perforandæ, indita postea radice hellebori, ut Veterinarii Scriptores suadent; similiter sub mento perforanda palearia, injecto postea



stea funiculo , quem setaceum vocant , indiget enim Natura aliquo emissario , per quod venenum istud exanthlet ; nulli enim comperti sunt evasisse Boves , nisi per pustulas incute excitatas , multum crassæ , ac foetidæ materiæ fundentes , nec Bovem ullum , qui sic purgatus fuerit , recidivam passum fuisse adhuc accepi ; nam ex Hippocratis oraculo in sexto Epidemiorum (a) ; *Quidquid suppuratur , non revertitur ; ipsa enim maturatio , & judicatio simul , & abscessus .* [b] Observatione dignum est , quod refert laudatus Fracastorius , ait enim , eos Boves , quibus labes à faucibus ad armos descendebat , & inde ad pedes , sanatos fuisse , qui-  
bus autem hæc permutatio non fiebat , ut plurimum interiisse . Linguam , & palatum , aceto , & Sale colluere sæpius oportebit ; frictiones pluries in die faciendæ ad faciliorem perspirationem obtinendum , ac ut cutis paratior sit ad recipienda rejectamenta nervorum , & arteriarum in glandulas . Cum persæpè in faucibus generentur tumores , & crustæ , uti fit in variolis , ut nihil per os possit infundi , com-  
pertum est baculum salignum viridem Bu-  
yro inunctum , longitudinis ulnæ , & am-  
plius per os inditum , valdè contulisse ad

[a] Sect. 3. (b) Lib. 1. cap. 12.



impedimentum illud tollendum.

Quoad præsidia interna, hæc è triplici regno erunt petenda. E' vegetabili plantas multas habemus cardiacas, quarum magna est supellex; Decoctio itaque in aqua fieri poterit ex foliis Scordii, Cardui Benedicti, Dictami Cretici, Centaurii, Radicibus Gentianæ, Tormentillæ, Scorzonæræ, & similibus; quibus addi poterunt cicoracea ad illarum calorem temperandum, quæ decoctio bis vel ter in die per os infundi poterit ad duas vel tres libras. Cum verò febris ad statum pervenerit, decoctio ista ex prædictis plantis debet esse saturatior ad expulsionem promovendam. Camphora quoque magnum antipestilentialia, accensa, & in aquam coniecta, potionem efficiet aptam ad pestiferum Miasmata perdomandum, & Diaphoresim promovendam. Pulveres quoque ex iisdem plantis parati, & in aqua cardiaca dissoluti, exhiberi poterunt.

Ut autem præter universalia alexipharmaca, quæ pro malignæ febris curatione à vegetabilium classe abundè suppetunt, aliquod singulare proponamus, placet expendere num solenne illud antipyreticum, h. e. cortex peruvianus, vulgò China Chinæ, ad ma-  
li-



lignam hanc febrem expugnandam salutare  
 remedium esse possit. Equidem hoc præsidii  
 genus in febribus periodicis miranda præstat,  
 ac præsertim in tertianis intermittentibus ma-  
 lignis, quæ in ipso impetu accessionis, ægros  
 interdum necant, quarum febrium in Con-  
 stitutionibus meis epidemicis Mutinensibus  
 mentionem habui; hoc enim febrifugum fer-  
 mentum illud malignum, sive penitus restin-  
 guit, sive ita enervat, ut periculum illud tol-  
 latur, ne æger in ipso febris accessu intereat;  
 ast in febribus continuis, & inflammatoriis,  
 perrarò ex corticis peruviani usu, febrem so-  
 lutam observavi; si tamen habenda fides Ri-  
 chardi Mortoni rationibus, & experimentis,  
 qui in quacunque febre venenum quoddam  
 spiritibus vitalibus hostile agnoscit, cur in hoc  
 Bovini generis morbo experiri non licebit  
 hujus febrifugi virtutem? Isthæc enim Boum  
 febris continua, & acuta, à febribus con-  
 tinuis ab aliqua inflammatione comitatis,  
 quæ homines corripunt, nullatenus differt;  
 (a) licet Joseph Aromatarius ex Antiquo-  
 rum doctrina differentiam aliquam statuatur in-  
 ter febres brutorum, & febres hominum, ut  
 brutorum febris *κράυρος*, hominum verò *πυρετός*

VO-

(a) Pao. pr. parti. 11. de rab, Contag.



vocitetur . Possent itaque unciaë tres pulveris Chinæ Chinæ [ quando hujus remedii largior dosis esse coëpit , quàm olim ] infundi in libris decem vel duodecim aquæ cardiacæ , seu vino non admodum generoso , quæ infusio inservire poterit pro quatuor , vel quinque dosibus , bis illam in die exhibendam in febris tamen principio , cum primùm Bos ægrotare coeperit .

Sua quoque remedia suppeditabit regnum animale ; Cornu Cervi primas tenebit , infusio itaque , ac decoctio , & quæ ex eo parantur remedia erunt ex usu . Pulvis viperinus . qui febrilem calorem non adeò intendet , bis in die exhiberi poterit ad drachmam unam , in aqua cordiali tepida pariter dissolutus ; efficacior tamen esset vipera una , vel altera in aqua cordiali decocta , febris enim ista intra paucos dies cursum suum absolvit . Quoniam autem inter cœtera symptomata , gravi anhelitu , & stertore Boves premuntur , spermacete tanquam remedium aptum ad dissolvendas sanguinis concretiones , & in asthmate usurpari solitum , præscribi poterit ad drachmas duas in vino tepido dissolutum . Mineralia quoque , ut quæ non tam facilè à calore nativo , & digestiva facultate alterantur,



tur, uti vegetabilia, & animalia, sed integris viribus corpus pervadunt, symbolum tuam conferent. Antimonium diaphoreticum, paratu facile, & exiguæ impensæ, quod nihil aliud est, quàm Antimonii crudi in pulverem contriti, cum æquis partibus Nitri in crucibulo, vel mortario æneo per carbonem ignitum, aut bacillum ferreum candentem conflagratio, ter, vel quater repetita, addita semper novæ conflagrationi æquali portione salis nitri, erit proficuum remedium ad obtinendam illam, quæ expetitur, expulsionem diri veneni ab intimis ad extima. Quoniam verò repertos, ajunt, esse lumbricos, & Ascarides in intestinis, quod per facile est credere, cum etiam in pestilentiis hominum observari soleat verminatio, non solum in ventriculo, & intestinis, sed etiam in aliis partibus, quod in scrutinio Pestis tradit, Pater Athanasius Chircher è S. J. & animatam putredinem appellat, ad remedia anthelmintica erit confugiendum; Mercurii infusio, ad libram semis super cineres calidos, in aliqua ex prædictis aquis optimum erit remedium, cæteris, quæ decantantur, præferendum; quando enim inter helminticos scriptores disputari solet, num acida, an dul-

cia



cia ad vermes necandos sint usurpanda, Mercurium, licet insipidum, id valenter præstare, & frequenti in usu esse, pro certo habemus. Idem quoque efficiet Mutinensis Agri petroleum; præter enim id, quod vermes enecat, putrescentiam quoque corrigit & diaphoreses erit stimulus. Nostrates rustici, cum vitulos habent verminantes, quòd facile deprehendunt ex odore, quem Vituli expirant, cum lacte exhibent istud petroleum, ad guttas aliquot per os infundendum.

Quoad alimentum, potiones parari poterunt, ex farina hordei, tritici, panis comitriti ad instar ptisanæ. Pro potu laudatur foeni puri, odorati, mense Maii collecti, in aqua Maceratio, quod potionis genus hisce animalibus gratum esse observavi. Externorum quoque habenda est ratio. In loco calido Boves detinendi, & custodiendi stragulis cooperti, cavendo, quantum licet, ab Aere frigido: quotidie stabulum suffumigandum ex baccis Juniperi, Galbano, & similibus.

Atque hæc quidem ad Therapœiam, modica pauca quædam documenta pro hujus meæ prælectionis Coronide, in prophylaxeos gratiam lubet proponere, quando longè præstantius est



est præservare, quàm curare, sicuti satius est tempestatem prævidere, ac illam effugere, quàm ab ipsa evadere. Cum igitur Boves ab agris post labores in stabulum ad hyemandum iam sint deducti, ut milites ad castra hyberna, magna diligentia studendum erit, ut ea loca, in quibus Boves sani degere debeant, munda sint, quantum fieri potest, ac sæpè suffumiganda, quæcunque animalia, ut sues, Ovæ etiam ab illis arcendo. Solent rustici, ut stabula hyeme sint calidiora, fimum, & excrementa Boum in iis cumulare, sed satius si quotidie alvinas fœces aliò adsportent. Consilium salubre erit, parietum crustas abradere, eo modo, (a) quo Judæi ex legis edicto jubebantur cubiculorum, in quibus leprosus aliquis habitasset; parietes crusta denudare, & flore calcis obducere, solùm autem in hoc casu muros eradere sufficiet; timere enim licet, ne recentis calcis odor hyemali tempore Bobus inibi conclusis possit officere. In id quoque erit incumbendum, ut pura, & munda sint illorum alimenta, cavendo, ne fœnum, paleæ, & alia, à pluviis, & illuvionibus fuerint inquinata; parcius quoque erunt alendi, ne plus æquo pinguescant; non enim hoc anno po-

(a) Lev. cap. 14.



polyfarcia, sed sanitas procuranda. Æstat quidem, quo tempore, in frugum trituraratione, & plaustrorum vectura exercentur ac multum est, quod distatur, plenius sunt alendi; ast hyeme, hoc anno præcipuè, quæ suspecta est saginatio, & macies tutior vis est, moderata diæta in iis nutriendis erit utendum.

Frictiones pluries in die adhibendæ non solum manu, sed strigilibus quoque, multum enim conferent ad sanguinem in sua fluiditate continendum, simulque ad superfluitatem exhauriendam, si præsertim frictiones sint validæ: habet enim hoc præsidii genus varias facultates, modò implendi, modò extenuandi. Celsus ex Hippocrate scripsit, *Frictione si vebemens sit, durari corpus, si lenis, molliri, multa. minui, si modica, impleri* (a). Si nimis pinguescant, quandoquidem hoc anno copiosa erit bubuli generis annona, posset etiam institui phlebotomia, sed diæta si fuerit conveniens, venæ sectionis, atque etiam purgationis erit vicaria. Postremò cum ex observatione Boum, qui in hac tempestate evaserint, satis constet, naturam per crustas, & ulcera excitata in corporis ambitu, & multam

[a] Lib. 2. cap. 12.



tam faniei expurgationem, morbosum illud  
 miasma, luem hanc expugnasse, sanum consi-  
 lium foret, emissarium aliquod in bobus sanis  
 aperire, per quod si qua sint vestigia morbo-  
 si seminii, illa sensim extrudantur. Aureum  
 documentum habemus ex Hippocrate in 6. E-  
 pid. ad rem nostram accommodandum, hisce  
 verbis. *Decubitus quidem, in quibus facta tol-  
 lit, hæc ante facta prohibet*, Locus quidem sub-  
 obscurus est, uti sunt Hippocratis Oracula, [a]  
 sed illum egregiè explicat Vallesius, ait e-  
 nim, decubitus à natura factos, qui sunt alio-  
 rum morborum medela, eosdem morbos anteverte-  
 re, & præservare, si tales decubitus arte procu-  
 rentur, non simpliciter tamen, quemcumque decu-  
 bitum, sed illum, qui facta tollit. Non inutile  
 igitur foret sanis Bobus, palaria sub mento  
 candenti ferro perforare, atque funiculo in-  
 dito apertum illud diù servare, ut per il-  
 lud paulatim egerantur impuritates illæ, quæ  
 hujus contagiosi fomitis sunt soboles, & in  
 capite potissimum acervari solent.

Sed cur ingenii mei tenuitatem frustror,  
 ac divexo, ut morbi hujus Naturam, & cau-  
 sas explorem, ac Medicinæ præcepta ad  
 veterinariam traducam? Jamdudum veram,

Tomus IV.

X

&

(a) Section. 3. ex Vallesio.



& immediatam hujus ferini morbi causam agnovit, ac patefecit Purpurati Principis, ad hujus Urbis incolumitatem cœlitus demissi admiranda pietas, & sollicitudo: nullam aliam scilicet esse causam, quàm Deum justissimum criminum vindicem, nobis iratum; sicuti etiam idem ipse unicum, & verum aperuit antidotum, decretis ad plures dies supplicationibus ad cœlestem iram placandam. Magna sanè frequentia clausis ubique Officinis, ad excelsam hujus Urbis Basilicam concursum est, ut nunquam aliàs tantus in unum populi conventus fuerit observatus, nec tanta erga Superos reverentia, ac pietas. Neque verò fervor hujusmodi postea refrixit, ut aliquando fieri consuevit, sed perstitit, magno ad alia celebriora Urbis Tempula Populi confluxu, quin cœteris Civitatibus, quæ eodem malo premuntur, exemplo fuit, ut ad divinam opem implorandam publicis precibus confugerent. Hæc tam subito mutata rerum facies, & recens nata hic, & alibi pietas, quam graviorum malorum metus expressit, in mentem revocant magnam illam Romanæ Urbis consternationem<sup>(a)</sup>, quam Livius hujus Civitatis immortale Decus, tam egre-

(a) Decad 3. lib. 6. cap. 6.



egregiè descripsit, quando nimirum Annibal, fusis, ac deletis Romanis exercitibus, ex improvise Romam petiit, ac illam tam arcta obsidione pressit, ut trepidantis Civitatis clamores audiret, subito enim terrore perculsus Romanus Populus ad Tempia, & Aras Deorum turmatim concurrebat, ut victimas mactaret, & pro publica salute vota conciperet; visebantur mulieres passis crinibus, effusæ in lacrymas, cum parvis liberis ad Tempia convolantes, ac ibi ad Simulacra Deorum armillas, anulos, aurea monilia appendere, ferreas scilicet Pœnorum catenas, & asperrima vincula metuentes. Hanc eandem consternationem eleganti carmine descripsit Silius Italicus. Labet hic Carmina hujus Poetæ verè aurea ad rem nostram apponere. [a]

*Tanta adeò, cum res trepidæ, reverentia  
Divum*

*Nascitur, & raræ fumant felicibus aræ.*

Num hisce temporibus congruant hi duo versus, Vobis A. O. Judicandum relinquam.







# ORATIO

## DECIMAQUARTA

Medicum valetudinarium aptiorem esse  
ad Medicinam faciendam, quàm  
alterum inculcata valetudi-  
ne degentem,

*Habita Die 6. Novembris MDCCXII.*



Uamvis Scientiarum omnium,  
bonorumque artium, quarum  
præsidio civilis vita regitur  
ac perstat, magna, ac admi-  
randa sit consensio, & nun-  
quam una alteri adversetur,  
sed omnes ad invicem propter commune  
cognitionis vinculum porrectis manibus cho-  
reas quodamodò agant, quasdam tamen ex  
iis esse constat tam arcto nexu inter se de-  
vinctas, ut Sorores potius, quàm comites  
ad publicam felicitatem videantur progna-  
tæ. Ex sunt Judiciaria, & Medicina, Fa-  
cul-



cultates ambæ nobilissimæ, ac vetustissimæ,  
 quarum tamen decus, & formam ætas nul-  
 la dederit, sed potius emendat; ac per-  
 ficit. Ab ipsis autem ferè Mundi primor-  
 dia, postquam homines: qui antea per a-  
 gros errabundi in venatu, & pastoricio mu-  
 nere exercebantur, & victitabant, Oppida,  
 & Civitates condidere, in quibus socialem  
 vitam degerent, caput extulerunt hæ prin-  
 cipes disciplinæ, corrupta siquidem ob mi-  
 serum Protoplasti lapsum hominis natura,  
 animi vitia non minus, quàm corporis in  
 hominum genus irrepere cœperunt, quare  
 ad corporis tum civilis, tum naturalis in-  
 tegritatem, quantum liceret, servandam, ha-  
 sce humanæ felicitatis Præsides adesse opor-  
 tuit, quantum una mores in officio conti-  
 neret, ut depravatos castigaret, altera cor-  
 poris humores inter se dissidentes compo-  
 nerent. Juris peritia itaque in Mundum in-  
 vecta est, sic conditæ sunt Leges, constru-  
 cta Fora, erecta Tribunalia, constituti Ma-  
 gistratus, & Judices, qui cuique jus suum  
 dispensarent. Haud aliter ob cœli, & for-  
 san magis ob victus intemperantiam, alios-  
 que fortuitos casus, morbis, seu gregatim,  
 seu sporadicè homines infestantibus, reper-  
 ta



ra Medicina est , simplex quidem ab initio ,  
 ut pote paucarum cognitione herbarum con-  
 tenta , postea in Artis formam redacta , con-  
 structis publicis Gymnasiis , Pharmacopoliis  
 apertis , in quibus prostarent parata medi-  
 camenta in suis pixidibus cum titulo recon-  
 dita , quibus sanitas humanis corporibus pos-  
 set vel conservari , vel instaurari , quotiescum-  
 que à naturali statu decederet . Hinc nullam  
 videre est Civitatem , nullum Oppidum , quòd  
 Judices , & Medicos non habeat , ad quos  
 tanquam tutelaria Numina cuique aliqua pre-  
 mente necessitate , liber non pateat aditus .  
 Neque verò ad facultates ipsas ritè exer-  
 cendas , quilibet , ut ut ingenuis moribus  
 ornatus , variaque rerum doctrina instructus  
 tam aptus censendus est , ut aliquid tum in  
 Iudice , tum in Medico desiderari non possit .  
 Curiosum equidem est , ac multò plus ani-  
 madversione dignum , quod apud Platonem  
 in utroque optabat Socrates (a) , Iudicem nem-  
 pe , aiebat , oportere senem quidem , & justum ,  
 sed multos homines malos in Juventute fuisse ex-  
 pertum , qui serò , quale quid injustitia fuerit , di-  
 dicerit , tanquam qui non propriam in animo  
 suo eam senserit , sed alienam in alienis animis

X 4 lon-

(a) 3. de Repub.



*longo tempore noverit . Medicum præstantissimum evadere scripsit , si ab ineunte ætate præter discendæ Artis studium apud plurimos corpore malè affectos consuetudinem habuisset , ipseque omni morborum genere laboraret . Secundum hoc igitur pro hodiernæ hujusce Orationis meæ argumento demonstrandum suscepì , Medicum nempe Valetudinarium ad Medicinam ritè faciendam aptiorem esse , quàm Medicum robustum , & inculpata valetudine degentem .*

*Difficilem sanè Provinciam A.O. suscepisse me video , adeò ut verear , ne in ipso proposito mei articulo quis fortè paradoxologum me vocitarit , ac quemadmodum Platonis Respublica , quæ nihil aliud nisi purum purum ingenii commentum fuit , ita rationum momenta , quæ pro asserti mei demonstratione sim producturus , non nisi imaginaria , & commentitia censerì possint . Verùm si aures vestras benignè , ut spero , commodaveritis , facilem assensum proposito meo impetraturum me confido . Primò itaque si in bono Medico nihil magis expetitur , quàm experientia , quæ vulgò rerum magistra audit , imò Artium tum Mechanicarum , tum liberalium repertrix , unde Manilius*



*Per varios casus Artem experientia fecit.*

*Exemplo monstrante viam . [a]*

Quis, precor, Medicum verè expertum eum non appellabit , qui valetudinarius sit , variis morbis obnoxius , ac re ipsa , & in se ipso expertus, quid sit, in acutis morbis cum morte luctari , quid in chronicis ad plures menses lectulo , aut sellæ affigi , in Arthritide articulos contorqueri , in Rheumatismis artus convelli , in Colica viscera disrumpi , quàm intolerandus sit aurium , & oculorum dolor , quale tormenti genus calculum habere in Renibus defixum , aut in Vessica oberrantem , quid sit , in gallico morbo dies , noctesque mulctari . Neque enim monstro par esset, Medicos praxi addictos videre celtica lue respersos , qui pro sostro , ac suorum laborum honorario , venereum aliquod munus reportarint , homines enim , & ipsi sunt , neque humani aliquid alienum à se putant , nostra præsertim ætate , qua Gallicus morbus olim advena , & peregrinus , utpote è barbaris regionibus in Europam devectus , modo Civitate donatus est , ac à celeberrimo Fracastorio Philosopho , Medico , ac Poeta insigni eleganti Poemate sub nomine Siphilidis nobilitatus .



Hæc vera est, & numeris omnibus absoluta experientia, non conjecturis aliunde petita, sed scientifica sui ipsius notione comparata, ut Medicos hujusmodi, quibus alioquin confociata sit peritia, & solida Doctrina, hos verè experientissimos appellari liceat. Quis enim rectius, & cautius ægri administrabit Artis adeò decantata præfidia, quàm qui non semel, nec in uno tantùm morbi genere, illa vel inefficacia, vel noxia, interdum etiam ipso morbo pejorè deprehenderit, ut sæpènumerò evenit in pharmacis quibusdam ex variis rebus, inque inter se pugnantibus conflatis, ut postquam fuerint assumpta, necesse foret aliud habere paratum remedium, quod illa è corpore citissimè exantlaret. Ingressus olim Diogenes Thermas, ut inibi pro more temporum lavaretur, balneum adspiciens sordidum, ac putidum, balneatorem interrogavit, dicens, *qui hic lavantur, ubi lavantur*. Cur non idem quoque dicendum de quibusdam remediis, quæ nimia credulitas, & artificiosa synthesis magnæ virtutis deprædicat, odore tamen, & adspectu totam Animæ sensitivæ systasim evertere apta, dici posset: *qui sic purgantur, quo remedio purgantur*.



Medico autem valetudinario non tam facile  
 misce erroribus teneri, aut fallere, aut fal-  
 si, ut qui in se ipso persenserit, quàm gra-  
 ves turbas interdum excitent hæc remedia,  
 quæ quo speciosiori nomine sunt donata, eò  
 periculosiora sunt, & naturæ magis infesta,  
 quæ sicuti simplici victu delectatur, & frui-  
 tur, ita remediorum simplicitate facilius re-  
 stauratur. Neminem igitur fore arbitror,  
 qui mecum non sentiat, Medicum valetudina-  
 rium aptiorem esse ad Medicinam faciendam,  
 ut qui non alieno, sed proprio periculo edo-  
 ctus, non ignarus malorum miseris succur-  
 ere discat.

Medicam operam (si tamen nobile mini-  
 sterium vili officio componere) medicam in-  
 quam operam obstetricio muneri comparare  
 soleo, parienti mulieri, seu parturienti, pa-  
 rum favente Lucina, supra puerperialem sel-  
 lam jam positæ, magnoque nisu connitenti,  
 ut foetum excludat, clamantique *Superum*  
*Regina fer opem*, assidet prona, & prompta  
 obstetrix foetum manibus expansis exceptu-  
 ra, laborantem mulierem ad dolores forti-  
 ter tolerandos exhortans, partum, inquiens,  
 naturæ, & foetus exitum affectantis esse opus,  
 iulatu, ac clamoribus frustrari spiritus, ac



vires , expectandos majores conatus , qui fructum maturum excutiant , manus non nisi extrema cogente necessitate , & foetu jam mortuo admovendas , sic partim verbis , partim illinitionibus ad Uterum , & sinum pudoris emolliendum , bona Obstetrix puerperæ blanditur . Ast , precor , A.O. mulieri inter hasce angustias positæ , ac ejulanti , quamnam Obstetricem opportuniorē esse censebitis , num sterilem , quæ nunquam Utero gestarit , nunquam pepererit , an eam potius quæ fecunditate donata plurimos ediderit foetus , & in obstetricandi officio consenuerit . Nullus dubito , quin indicaturi sitis , hanc potius , quàm alteram ad succurrendum puerperæ aptiorem esse , rectè quidem , ac sapienter , id enim rationi ita consonum est , ut antiquitus teste Platone in Theæteto , lege vetitum esset , ne mulier ulla sterilis obstetricandi munere fungeretur , *humana etenim natura* , verba sunt Platonis in memorato loco *imbecillior est ad Artes rerum , quas nunquam experta est* . Cur non idem quoque de Medico valetudinario dicendum , qui non rarò in se ipso fuerit expertus , morborum curationem naturæ potius , quàm medicamentorum productum esse , qui noverit expectandam hu-



norum maturitatem , ut morbosæ foeturæ  
 excludantur , non esse antevertendas , nec  
 ervertendas crises , summam Medicum ,  
 quem varia morborum genera exercuerint ,  
 autodidactum esse , h. e. à se ipso tanquam præ-  
 ceptore instructum , reliquis præcipuis Medi-  
 cinæ partibus præferendum , ac præsertim  
 in Therapeutica methodo , ut qui norit , quæ  
 remedia , qua quantitate , qua mensura , &  
 quod rei caput est , quo tempore sint exhi-  
 enda , cum intempestiva Medicina nihil sit  
 periculosius . Omittam referre , quanta comi-  
 tate , quàm singulari pietatis officio Medicus  
 clementer erga suos ægros se gerat , quàm  
 facile illos sibi obsequentes reddat , ubi ex  
 adverso Medicus benè semper valere solitus ,  
 nimis asperè , ac imperiose , cum suis ægrotan-  
 tibus se habet , illos interdum objurgando ,  
 si fortè pharmacum ad fœces usque non po-  
 arit , si cibum ad præscriptum horæ quadran-  
 tem non sumpserit , si omnia imperata ex as-  
 se non implevit , unde fit , ut non rarò decum-  
 bentis animum , & morbum simul exasperet .  
 Mirum est autem , quantum animi , quantum  
 spiritus concipit , dum secum reputat , se sub eo  
 Medico esse , qui non solus spectator , sed  
 tanquam fortis gladiator in arena cum variis  
 mor-



morbis monstris conflictantur. Quàm libenter illum audiet referentem, quomodo ex hoc, vel illo morbo emerferit, nempe sustinendo, & abstinendo, valere iussis, tot medicamentis, & Medicorum multitudine, ægris ferè serper ominosa.

Scio equidem perdifficile, vulgò non dicam, sed viris etiam sapientibus veritatem hanc persuadere, qui ubi in Medicum incidunt, vultu sermone, incessu, quandoque etiam dextram subeunte bacillo, qualis si se prodentem, risum vix tenent, ineptum putantes ad opem aliis ferendam, quam sibi non possunt, idcirco ubi ægrotant. Medico bene colorato, ausarcho, toroso, robur suum ostendenti, ut olim apud Maronem Dares contra Entellum, ostendens latos humeros, altetnaque jactans bracchia, salutem suam fidentius concredunt, quàm Medico lubricæ valetudinis, exhausto, strigoso, coloris mustellini, quasi contra vim morbi corporis viribus potius, quàm animi sit pugnandum, si tamen rationes non audire tantum sed auscultare velint, non vereor, quin in meam sententiam sint venturi, sciant enim oportet, eam sanitatem, quam in Medico adspiciunt, & admirantur, non esse Artis  
quam



uam exercent, & tam exactæ vivendi nor-  
 æ productum, sed temperamenti, & bo-  
 i habitus, quam à primordiis, atque à sa-  
 is parentibus fuerit fortitus, ac pariter con-  
 nuæ exercitationis, quam Medica Praxis  
 xigit, malam verò habitudinem, quam in  
 medico valetudinario vident, & commise-  
 ntur, norint, sobolem esse malæ constitu-  
 onis ab ipsis Parentibus malè affectis dedu-  
 æ, siue intemperantiæ in studiis, & vigi-  
 tis ad pluteum noctibus, quibus senioris  
 Medicinæ studiosi seipsum absumunt, fieri  
 nim nequit, uti rectè agebat Plato, *ut ef-  
 orescat vis animi, nisi vis corporis deflorescat,*  
 nde macies, & pallor, Stomachi imbecillitas,  
 complures aliæ ærumnæ eos facillè comi-  
 untur, qui studiis totos se devoverint, uti  
 idere est in religiosis coetibus, quos non je-  
 nia, nec crebræ flagellationes, sed sola stu-  
 ia macerant, atque conficiunt. Verùm Pla-  
 onis doctrinæ ipsum Medicinæ parentem Hip-  
 ocratem, opponet aliquis, afferentem oport-  
 ere Medicum sui ipsius curam gerere, ut bē-  
 ē coloratus sit, & bona, ac carnosæ corporis ba-  
 tudine præditus, *juxta naturam in ipso exi-*  
*entem*. Scripsit id equidem Hippocrates,  
 ed nemo æquus rerum æstimator ex his in-  
 ferre,



ferre poterit, ablegandos à Morborum curatione Medicos valetudinarios, tanquam ad Medicinam faciendam ineptos. Cur enim ita scripserit divinus Senex, rationem affert subdens, *vulgus enim*, inquit ille, *existimat eos qui non sat benè dispositum corpus habent, neque aliis benè posse prospicere*. Vulgi ergo opinio hæc est, non eorum, quibus cor sapiat. Ambicupandam itaque popularem auram, & declinandam vulgarem illam calumniam, quod Medici sæpè ægrotare soliti ad Medicinam administrandam sint inidonei, suadebat Præceptor, ut quisque studeret sanus videri, & boni habitus. Documentum itaque Hippocratis politicum est, neque Platonis sententia quidquam infirmat, semper enim licebit asserere, Medicum valetudinarium, cæteris paribus prærogativam habere, non invidendam tamen; ut magis idoneus ad curandum morbos, quàm Medicus firmæ, & robustæ valetudinis. Imò si coniectari licet, qualis esset hac in re mens Hippocratis, aulim dicere illum potius meæ sententiæ, quam contrariæ favere. Quo enim præceptore usus est Hippocrates, quam Herodico? Huic se erudendum tradidit, atque dubio procul illi etiam se curandum tradidisset, si morbo aliquo fuisset.



set detentus. At Herodicus, ut eruditi omnes norunt, pro exemplo hominis valetudinarii traducitur.

Risum vix teneo, cum scomma illud antiquum è Poeta quodam proverbii loco deductum, audio, Plutarcho teste, ut eos eludent, qui aliis, sed sibi non sapiant, [a] *aliis medens, ipse ulceribus scatens*, ut hoc pacto Medicos variis morbis affligi solitos à sui curatione ablegent, suam enim inscitiam produnt, qui sic loquuntur (b). Sufficiat dictum illud Divini Præceptoris *Fistula aliorum medela*. An non Medici peritiores ulcera in corpora malè affecta inducunt, ac diu aperta aservari volunt, tum ad curationem, tum ad præservationem à gravioribus morbis? & quid magis verentur, quam interceptas solitas evacuationes, uti ulcera antiqua, vel sponte, vel à Medico imperito sanata, Medici itaque valetudinarii, qui suorum affectuum indolem norunt, absolutam curationem negligunt, ne gravioribus premantur; curant tamen seipsos in acutis morbis, nisi arcem palladis malum obsederit, non enim tam bardisunt, ut cum decumbunt Medicorum turbæ se con-

Tomus IV.

Y

cre.

(a) De dignos. adscen. ab amico.

(b) 3. in 6. Epid.



credant, norunt enim, quale sit commune ferè Medicorum fatum, ubi enim fama vulgari, Medicum aliquem decumbere ex gravi morbo, non pauci hujusce ordinis, vel officiositatis, vel curiositatis gratia ad illum accurrunt, aliquo remedio proposito, donec mi-  
sero decumbenti inter Medentium dissidia sit occumbendum, curant inquam se ipsos, & longævitatē persæpè consequuntur, uti modò laudatus Herodicus, qui Gymnasticæ artis ope, cujus fuit primus institutor, vitæ lineam usque ad integrum seculum produxit, quòd si morbosas radices evellere nequeant, veluti podagricam, nephriticam, asthmaticam diathesim, aliasque consimiles labes, non rarò quoque hæreditarias, quas neque Apollo ipse cum undecim Diis sanare posset, id Artis vitio nequaquam vertendum, sed Artis, quæ supra activitatis suæ sphoeram agere non possit, multum est enim, si germina, quæ ab hujusmodi radicibus pullulant, possint abscindere.

Nimius essem si cuncta, quæ ad assertum statuminandum occurrunt, recensere velim: liceat tamen pro coronide Orationis meæ hoc unum adiicere, Medicum valetudinarium non solum ad medendum, sed etiam ad scribendum aptiorem esse, quàm pancraticè valentem,



rem, & duro de robore natum. Quis enim pugnam intestinam inter naturam, & morbum rectius exponet, & chartis mandabit, quam qui intra corporis sui caveam pugnam hujusmodi, si non oculis spectarit, saltem sentientis animæ damno persenserit. Prosper Alpinus, cujus mora Cayri in Ægypto ad aliquot annos cum Veneto Consule Medicam Rempublicam egregio illo Opere de Medicina Ægyptiorum ditavit, gravi, ac penè absoluta surditate contracta, ut ne maximos strepitus audiret, cum esset Patavini Horti Præfectus dicere solebat, nullum hætenus Medicorum affectionis hujusmodi naturam fuisse affectum, nec assequi posse, nisi eum, qui surditate laboraret, idcirco agebat, se meditari opus de hujusmodi effectus natura, sed mors illum prævenit, nobisque tam ingeniosi foetus editionem incudit (a). Falloppius in celeberrimo Lyceo Professor, ut ipsemet in suis Operibus refert, in quodam affectu, cujus nomen non memorat, hyberno tempore morem aliorum secutus aquas aquarianas bibit, sed cum nec per urinarias vias, neque per secessum illas redderentur, crurum convulsione correptum se ait, quod itidem postmodum aliis contigisse obser-

[a] Vid. Linden. de Scrip. Med.



vavit, hanc ob causam sui ipsius experientia edoctus, hybernō tempore thermalium aquarum usum omninō improbavit, aureum documentum adiiciens, nimirum epiphlebis, h. e. quibus est venarum latitudo, tutius exhiberi minerales aquas, quàm quibus angustæ sunt venæ.

Quem porrò Scriptorem Marcello Malpighio celebriorem habuit ætas hæc nostra? Ast qui eum novere, satis sciunt, illum parum firmam valetudine vixisse, imò ipsum non puduisse apud amicos ingenuè fateri, se variis affectibus vexari solitum. Ad cuncta igitur Medicæ Artis munia exercenda, Medicus valetudinarius, variisque morborum generibus exercitus, alias tamen doctus, & prudens, supra cæteros artifices, quibus singulari beneficio datum est benè semper valere, servata utrobique solidæ doctrinæ paritate, ut bonus Theoricus, ut melior Practicus, atque ut optimus Scriptor semper excellat.



D E  
PESTE VIENNENSI  
DISSERTATIO

*Illustrissimis, & Excellentissimis D. D.*

PATAVINI GYMNASII  
MODERATORIBUS

D. FRANCISCO LAUREDANO

Equiti, ac D. Marci Procuratori,

D. JOANNI FRANCISCO

MAUROCENO Equiti,

D. ALOYSIO PISANO

Equiti, ac D. Marci Procuratori.

Bernardinus Ramazzini Felicitatem.

**S**Imunera, ut ut vulgaria, apud eos, quibus offeruntur, satis gratiæ dicuntur habere, si tempestiva sint, ac opportuna; Dissertationem hanc meam, quam de Peste Viennensi in Lyceō nuper habui, favorem vestrum promerituram esse con-  
fido, Illustrissimi & Excelentissimi Patavini Athæ-  
ei MODERATORES. Cum enim Excellentissi-  
mum SENATUM VENETUM viderem nulla



graviore cura premi, quàm ut à finibus suæ Ditionis, quantum humanis viribus datum, Pestem arceat per Germaniam divagantem, rem non ingrattam, nec inutilem facturum me credidi, si de illa verba facerem, ac alijs incitamento essem ad evolvenda ea, quæ extant de hoc malo omnium pessimo, Scriptorum monumenta. Etenim cum Pestis non sit omnium annorum morbus; uti febres, & alii particulares affectus, sed longa plerumque interlabantur tempora, interdum etiam integra secula, ut nulla occurrat pestilentia, non raro fit, ut si ex improvviso pestifer aliquis morbus caput exerat, Medici, quorum præcipuum studium circa eos morbus versatur, qui annum quæstuosum reddunt, ea in re novi sint ac hospites, unde postea graves inter ipsos oriantur disceptationes non sine Artis dedecore. Dissertationem banc itaque meam, qualiscunque ea sit, in obsequii argumentum Amplissimis Nominibus Vestris dicatam volui Illustrissimi & Excellentissimi VIRI. Ita Vos ad publicam literarum felicitatem sospitet Deus Optimus Maximus, deturque diu ac plurimum valere.

Patavii Die 15. Decembris 1713.

ORA-



# ORATIO

## DECIMAQUINTA

*Habita Die 20. Novembris MDCCXIII.*



Unquam sanè A. O. ex quo in hoc Celeberrimo Lyceo profiteri mihi datum, tam gravi curarum æstu laborasse me fateor, quàm hujus Anni Scholastici accedente principio, mecum scilicet reputans, quàm imparatus in hac solenni Studiorum instauratione Cathedram hanc essem conscensurus, ex qua aliàs me non omninò illaudatum descendisse memineram. Cum hætenus mihi pro more fuerit quotannis Oratione aliqua Jatrici argumenti proludere, idem quoque hoc Anno facturum mihi blandiebar, sed nescio quo fato per totam Æstatem, præsertim Procyone furente, mihi cum meis malis luctandum fuit, nec sine metu, num essem evasurus, idcirco aliæ mihi fuere curæ, alia sollicitudo, quàm de Oratione conflanda. Impetratis tandem, fa-



vente Deo, à morbo induciis, mihi tamen sem-  
 per infidis, seriò cogitare cœpi de Argu-  
 mento aliquo feligendo, quod expectationem  
 vestram non omninò falleret, nec mihi la-  
 borem redderet injucundum. Mente igitur  
 per amœniora Medicinæ loca discurrens, at-  
 tentè perquisivi, num quidquam reperire  
 possem, quod votis responderet; sed nescio  
 quomodo cuncta mihi sicca, & squallida ap-  
 parebant, si enim veteres Medicæ Artis cam-  
 pos pervagabar, nihil novi occurrebat, quod  
 in antehabitis Orationibus non pertractas-  
 sem, aut saltem non delibassem; si verò Re-  
 centiorum culta Novalia perlustrabam, non  
 nisi minuta seges sese offerrebat, sic quasi des-  
 perans quidquam esse me reperturum, quod  
 genio satisfaceret, non parum animo ange-  
 bar, dum interim viderem inutiliter labi dies,  
 & rem ad ultimum vacationum mensem de-  
 ductam. Ne itaque frustrante diligentia,  
 animi & corporis vires simul attererem, ad  
 curiosorum pabulum diverti, ad legenda ni-  
 mirum novarum in Europa gestarum com-  
 mentaria, singulis hebdomadis ad nos defer-  
 ri solita, quæ dum legerem, animo tamen  
 composito, & nullo partium studio infatua-  
 tus, mecum ipse contemplebar, num post  
 tam



tam magnas rerum vicissitudines, quas pau-  
 corum annorum spatio vidimus, & mirabun-  
 tur posteri, ullo unquam libramento res ita  
 componi possent, ut solidam, ac duraturam  
 pacem sperare liceret; sed in hoc rerum sta-  
 tu obfirmatis utrinque animis ad fortunam  
 armorum experiundam, inanem omninò hu-  
 iusmodi spem agnoscebam; potissimum autem  
 Galliae prosperitatem admirabar, quæ an-  
 tea tot cladibus afflicta, ut pacem videretur  
 deposcere, modò in eam fortunam sit erecta,  
 ut belli & pacis jura, si quæ sunt, potius ad-  
 ministrare velle, quàm accipere videatur.  
 Nec minori admirationi erat Anglia, quæ li-  
 cèt toto Orbe divisa eò venerit, ut pro lu-  
 bitu Orbem dividat, Regnorum facta dispen-  
 satrix, Ubi verò ad acta Germaniæ ventum  
 est, cum primùm audiui, Viennæ adhuc Pe-  
 stem grassari, tunc veluti è gravi somno ex-  
 citus, en quomodo, mecum dixi, mihi aliud  
 agenti præ manibus nascitur, quod tam an-  
 xiè quæsieram, dicendi argumentum? Quid  
 Auditorum meorum attentione dignius opta-  
 re poteram, si id ipsum est, quod à SERE-  
 NISSIMO PRINCIPE, quod ab AUGU-  
 STISSIMO SENATU tantam exigit animi at-  
 tentionem, cogitationem, ac vigilantiam,



ne Italas oras tam dira lues incesset? Puduit, fateor, A. O. quòd tam læva mens mihi fuerit, ut ad ea, quæ de hujus morbi principio, & progressu plures legeram, ac alios differentes audieram, tam serò adverterim, si enim attententior fuisset, paulò paratior huc forsan accessissem; mihi enim, nec in robustiori etiam ætate, licuit esse tam beatum, ut quæ mente conciperem, tam citò conformare possem, nunc autem multò minus mihi seni jam factò; pro viribus tamen contendam de hujus Febris natura, ac indole notationem aliquam tradere, ut si unquam ad fines nostros [ quod omen despuo ] ausit accedere, nec novus, nec ignotus hostis accedat. Hæc ergo purpurata Febris, maligna Mysoptoca, mihi hodierna luce proprium, & opportunum erit dicendi Argumentum.

Mirabitur fortè quispiam, cur purpuratam hanc Febrem novo, & insolito vocabulo Mysoptocam dixerim, non potius acheronticam furiarum de genere prognatam; ast is sciat, me appositè hac voce usum fuisse, ut illius indolem, ac mores designarem, hæc enim Febris in miseram, & egenam plebem peculiari odio desæviit, in hanc ferinam rabiem est depasta, Neque id novum est, nec par  
pro-



prodigio habendum, annotavit hoc olim magnus Hippocrates acuratissimus rerum omnium Observator, in Libris enim Epidemiorum mentionem habet de morbo quodam, qui solos servos, & ancillas malè plecteret, intactis Proceribus, Ingenuisque omnibus. In iisdem quoque Libris morborum affectus memorantur; qui Artifices quosdam, Fullones dictos, plebejum hominum genus emaculandis vestibus addictum graviter infestarent. Mihi quoque olim in Mutinensi Agro observare contigit Ruralem Febrium tertianarum Epidemiam, in qua omnes ferè Rustici eodem tempore decumbebant, sana ac integra Civitate; sequenti verò anno alteram Febrium Epidemiam, quæ solos Urbanos afflixit, Rusticana Gente benè valere permissa. Memoratu quoque dignum est, quod refert Cardanus de Peste Basiliensi, quæ Urbem illam Civibus penè depopulata est, Italos verò, Hispanos; & alios quoscunque nationis exteræ, qui tunc aderant, haud quaquam attigit; Hanc nimirum habent Epidemici Morbi naturam, ut eos, quibus eadem humorum prava diathesis, quæcunque sit causa, five ab aere, five ab aquis, aut alimentis vitiatum ortum habuerint, facili negotio corripiant.



ripiant. Scio equidem in communibus popu-  
lorum ærumnis Plebem, cujus major, quàm  
Civium est numerus, eam esse, quæ gravio-  
ra sustineat pondera, scire tamen licet, mi-  
nutam plebem ob inopiam pessimo victunu-  
triri solere, ideòque in locis, ubi Pestis ca-  
put exerat, ob humorum corruptelam ad luem  
concupiendam magis idoneam esse, quàm cœ-  
teros. Pestis ac Fames, seu necessitas uten-  
di pessimis cibariis ob inopiam, apud Græcos  
eadem voce appellantur, per solam Dipthon-  
gum distinctæ; λοιμός enim Pestem significat,  
λιμός Famem, ut aliquando Fames solius Pe-  
stis fuerit productum.

Non abs re igitur Febrem hanc in Viennæ  
Suburbiis apud plebejos hospitantem, My-  
soptocam dixi, quæ nimirum in hisce infimæ  
fortis hominibus suam ingluviem depascit,  
illi tamen fidere non oportet, ut postquam  
hoc cibi genere satura fuerit, meliorem escam  
aliquando non appetat. Licet enim humani-  
tatis aliquid habere visa fuerit, ad Urbis in-  
teriora haud quaquam accedere ausa, forsan  
Sacram Cefaream Majestatem Caroli VI. re-  
verita, ab illa tamen cavendum tanquam ho-  
ste vaferrimo, cui proprium est per insidias  
humanum genus ad internecionem usque a-  
do-



doriri. Non sum nescius, ab initio de hujus Febris genesi ac indole in Foro Medico fuisse disceptatum, sed hujusmodi lites ipsamet citò diremit, purpura enim posita, nigram vestem induens, sat claris indiciis, qualis revera ea esset, se prodidit. Quid enim peticulae è purpureo in atrum colorem permutatae, quid anthraces h. e. carbunculi, quid vibices, & liventes maculae, quid bubones, aliaque characteristica fontici morbi, & necroseos signa indicare poterant, quàm Febrem de pestilentium genere ab Orco in terras projectam?

Mirum est sanè A. O. si Scriptorum monumenta evolvere placeat, mirum est inquam, unde fiat, quòd Pestis quaecunque in primo sui exortu tot Fautores, & Patronos habeat, & quod magis mirandum, ipsos quoque Medicos, donec pedem fixerit. Infortunium hujusmodi experta est olim Adriæ Regina Civitas, quæ, ut refert Riccobonus in Gymnasio Patavino, Anno septuagesimo sexto supra sexquimillesimum post graves contentiones inter Medicos, num Febris, quæ populariter cum strage non modica vagabatur, pestilens esset, nec ne, acciri jussit Capiavaccium, & Mercurialem Clarissimos in Patavino Gymnasio



fio Professores, qui cum Febrem illam à pesti-  
 lentium crimine absolvere tentassent, Pata-  
 vium postea redire coacti, ut evidenti peri-  
 culo se subducerent. In ea quoque Peste,  
 quæ anno præcedentis Seculi 29, Cispadanam,  
 & Transpadanam Regionem devastavit, Me-  
 diolani eadem controversiæ inter Medicos au-  
 ditæ, Doctissimo Septalio referente, qui cum  
 apertè profiteretur pestiferum esse morbum,  
 aliis in adversum ad ravim usq; reclamantibus,  
 hancque ob causam cum ingenuus Professor  
 malè audiret, parum abfuit, quin, ut ipse-  
 met refert, à Plebe lapidibus obrueretur.  
 Cum igitur in hac Peste quæ modò Viennam  
 infestat nullus amplius sit disceptationi locus,  
 hujusce Mysoptocæ Febris simulata pietas,  
 & reverentia erga Viennenses Cives des-  
 puenda, ac horrori cane pejus, & angue,  
 ut dici solet, habenda. Agitur enim de  
 morbo, qui citam mortem adfert, qui nulli  
 remediorum generi auscultat, qui Urbem  
 premit diuturna, ac dira obsidione, Tur-  
 cica longè peiori, contra quam armis pu-  
 gnari saltem poterat, & à foederatis Prin-  
 cipibus, uti postea evenit, auxilium ali-  
 quod opperiri; at contra pestiferum hunc  
 cacodæmonem non nisi votis, ac preci-  
 bus



bus pugnare licet, non secus ac contra  
 Dæmonium illud, quod Apostoli ejicere non  
 poterant, de quo Salvator dixit, esse de  
 illorum genere, quæ non ejiciuntur nisi O-  
 ratione, & Jejunio.

Sed quid dicendum de hujus Febris pestife-  
 ræ ad algentes Aquilonis flatus, & largum ni-  
 vium descēsum subitā mitescentia, ut Viennen-  
 si Civitati spes non parva cœperit albescere,  
 quòd morbus hic obsidionem deferere quàm  
 primùm velit. Quid dicam, nisi quòd huic Ur-  
 bi, unico Christiani Orbis propugnaculo, totus  
 Mundus gratulabitur, gaudebitque, si audiat,  
 Febrem hanc inter nives torpescere, ut Phle-  
 getontem, unde prodiit, cogatur repetere.  
 Hic autem pestilentia mos esse consuevit, ut  
 ad Anni tropas, h. e. ad utraque Solstitia,  
 mutata insigniter aeris temperie, ipsa quoque  
 mutationem aliquam subeat, sive in melius,  
 sive in deterius, ut plurimùm tamen facilius  
 nitefcit, cum aer à summo æstu ad frigidum  
 transit, sic Cayri, teste Prospero Alpino,  
 testis in summo fervore hominum vitas lar-  
 gè demetit, in primo autem Nili incremento  
 erociam deponit. Cum autem in æstivo Sol-  
 stitio jam prægresso, Febris hæc suæ feritatis  
 in miseram plebem acmin pertigerit, rationi  
 non



non incogruum est, spem concipere, quòd in proximo hyemali Solstitio, ad quod annus jam vergit, vel in malam crucem abeat, vel nivibus obruta omninò dispereat, eodem planè modo, ac Anno 79. exacti Seculi Pestis altera, quæ Viennam afflixit, æstate potissimum, die prima Novembris memoratur extincta, qualis dies etiamnum pro gratiarum actione liberatæ Urbis magna celebritate colitur. Huic præconceptæ spei tam prosperi eventus annuant Superi, dentque, ut Anno huic, Viennensi Civitati adeò nefasto, Annus candidior succedat.

Ast jam diu à Viennæ Suburbiis pestifer hic morbus quaquaversum longè latèque in varias Civitates sese effudit, ut Germaniam totam pervagari velle videatur, huc & illuc avolans tanta pernecitate, ut verè dici possit hoc esse *malum, quo non aliud velocius ullum* quod sua mobilitate magis vigeat, *viresque acquirat eundo*, ut de Fama Virgilius. Nec verò terras solùm peragrarè, & cuncta pro lubitu stragibus opplere contentus est, jam Balthicum navigare incipit, pyraticam quoque exercendi cupiditate flagrans, ut maritimi Prædonis congruum sibi adisciscat titulum.

Num autem pestifer hic morbus iis i-



locis, ac Civitatibus, quas occupavit sub eodem adſpectu purpuratæ Febris miſeram, & egenam plebem exerceat, ut in Viennæ Suburbiis, cum memoratis ſymptomatibus carbunculorum, & bubonum, an diverſo pœnarum genere, tam plebem, quàm Cives in libitinæ cenſum deducat, ignorare me fateor, cum hac de re nil certi habeatur, hoc unum tamen ſcio, Peſtem beluam eſſe multiformem, ac verſipellem, cui nomina mille, mille nocendi artes, ut de Aleſto Furiarum peſſima cecinit Poetarum Princeps. Peſtis enim morbus non eſt particularis, ſed univerſalis, excors, exlex, nullam categoriam agnoſcens, cum nulla adhuc poſt tot ſeculorum fluxum habeatur vera Peſtis Definitio, multò minus verum remedium. Peſtis ſiquidem cuilibet morbo, magno, parvo, cujuſcunque generis conſociare ſe promore habet, ut facilius illudat, nam non ſolum Febribus continuis, ſed etiam interpolatis ſociam ſe jungit; Febrem quoque Ephe-meram, quæ apud omnes ſecuriſſima audit, Peſtis ſuo contubernio infamem reddidit. In peſtilentibus conſtitutionibus obſervantur vagari non rarò particulares morbi, uti angina, pleuritides, peripneumonix, diarrhex,



dysenteriae, sed cum manifestis virulentiae no-  
 tis. In Libris Epidemiorum Hippocrates Con-  
 stitutionem quamdam refert, in qua, ut ipse  
 ait, *omnes sustulit alui profluvium*. Huc spe-  
 ctat Monitum illud ejusdem Hippocratis,  
 quo dicere solebat, observandum, *an sit, quid*  
*divinum in morbis*. Quid verò intelligendum sit  
 per istud *θεῖον* Divini Præceptoris, inter Me-  
 dicos non satis convenit; sapientiores tamen  
 judicant per Divinum istud nil aliud intelligi  
 nisi aliquod abditum, quod humanum supe-  
 ret captum, uti Fernelius de Abditis rerum  
 causis, sed præ cæteris punctum forsan tu-  
 lit Doctissimus Sennertus, qui divinum istud  
 ad Febres Pestilentes referendum voluit. Pe-  
 stis ergo morborum Proteus est sub variis  
 adspectibus illudens, modò atra veste, mo-  
 dò purpurea, modò polymita, ut in Febre  
 Ungarica, apud Scriptores satis memorata.  
 In qualibet ergo constitutione, in quocunque  
 loco, ac Civitate, in quam primò Pestis pe-  
 dem intulerit, singularitate semper aliqua di-  
 stingui, ac notari gaudet. Pragm cum pri-  
 mùm, ut ex postremis literis accepimus, in-  
 gressa est Pestis, in Hebræorum Septo hos-  
 pitium sibi delegit, ubi maximam dicitur edi-  
 disse stragem, Mysoptocam naturam nondum  
 for-



forſan oblita, plebs enim recutita ut plurimum miſera eſt, ac paupertina, cui nimirum *topbinus, fœnumque ſupellex*, peſſimo victu nutriri ſolita. Talis autem natio ad luem concipiendam, eamque aliò aſportandam propter emptitias veſtes, præcipuum illius mercimonium, apta eſt, & hanc forſan ob cauſam, ut ex publicis literis accepiſimus, in variis Germaniæ locis, ac præſertim apud Helvetios, Hebraicæ Genti atteſtationum Sanitatis nullus eſt uſus, ſed, huc & illuc vagari omninò interdictum.

At quorſum hæc inquiet aliquis, niſi ad prophylaxim à tam dira lue aliquod proponatur remedium & præcautio. Juſta quidem, ſed rei perdifficilis poſtulatſio, ſi in Pharmacopœorum Nartheriis, aut Chymicorum officinis quidquam eſſet, quod cunctis venenis poſſet obſiſtere, hoc verè illud eſſet, quod expetitur, remedium; talis eſt enim peſtilentiæ natura ac indoles, ut venenorum omnium ſit compendium, & ut ita dicam, extractum, aſt huiusmodi alexicacon, quod cuncta venena perdomandi vim habeat; mente potius fingi, quàm arte conſtari poſſe, facilè crediderim. Num Theriaca, quæ cuicunque venenorum generi adverſari creditur, ut pote



ex tot simplicibus medicamentis de Alexiteriorum genere, ut excogitata luxuriæ compositio à Plinio dicta fuerit, num forsan istud, quod exquiritur remedium esse possit, cuique liberum esto iudicium. Ut, quod sentio, proferam, illud unicum perplacet, quod vulgò de tribus compositum appellatur, h. e. de celeri fuga à loco infecto, de profectioe ad longinquas regiones, ac tarda reversione, quo remedii genere sapientiores quoque Medici uti consuevere.

Quoad præcautiones, quæ hisce in casibus humana solertia adhibere solet, eas provido consilio præoccupavit SERENISSIMUS SENATUS VENETUS, ubi enim primùm de populari Febrium malignarum Epidemia, quæ Viennam infestaret, rumor Adriam pervasit, illicò plurima sanxit decreta, quibus jubebatur, ut terra, marique ad fines, & loca suspecta mitterentur, qui solitis cautionibus ad rem tanti momenti invigilarent: item edixit, ut in singulis suarum Ditionis Civitatibus, & Oppidis, Portis adstant Cives, & Nobiliores Viri, ne cuiquam sine datis Sanitatis Vadibus permitteretur ingressus; Nec satis cautum existimans, non multò post cum externis, atque etiam finitimis



mis Civitatibus commercia intercepit, non  
 tanti faciens commoda, & beneficia, quæ ex  
 libero Mercaturæ commercio omnibus Civita-  
 tibus proveniunt, quanti publicam populorum  
 salutem. Institutæ quoque eodem tempore pu-  
 blicæ preces ad iram Supremi Numinis pla-  
 candam, non intermissa quicquam edictorum  
 fideli, ac plena executione, nam ut vetus  
 fert Adagium, *Dii facientes adjuvant.*

Tanta equidem diligentia ab initio adhibi-  
 ta, tanquam justo timori impar, apud quos-  
 dam non benè audiebat, dum adhuc sub Ju-  
 dice lis esset, num Febris illa purpurata de  
 Pestilentium profapia censeri posset, sed po-  
 stea in dies ingravescente morbo, ac palam  
 sævitiem suam prodente, tunc sat claris in-  
 diciis patuit, quanta, & qualis esset Excelsi  
 Senatus Veneti prudentia, & quàm salubria  
 fuerint, quæ à tam altis Mentibus emanarunt,  
 decreta. Si enim ulla in re Plautinum illud  
 monitum, *qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, dum  
 etiam cavet*, verum deprehenditur, maximè  
 quidem in sola etiam Pestis suspitione.

Grande igitur, & singulare est illorum be-  
 neficium, quibus datum est sub hoc Serenif-  
 simo Cœlo Natales fortiri, ac vivere; hic  
 enim felix ævum transigitur, hic placidos fo-



mnos captare licet, dum tot Excellentissimi Senatores, imò tanquam Patrii Indigetes ad publicam felicitatem pervigilant. Jam satis fuimus experti, quàm facilè, & quàm exiguo labore in tanto, ac tam longo per totam Italiam armorum fremitu, Subditis suis pacem, & imperturbatam quietem, sibi que Auctoritatem integram servavit SERENISSIMUS SENATUS, armatus tamen, dum interim tota penè Italia gerneret convulsa, exteris militiis commeatus, stipendia, & quidquid ad magnos Exercitus alendos est necessarium, suppeditare coacta. Quòd si aliquibus locis Serenissimæ Ditionis ex transitu tot Copiarum incommodum aliquod, ac damnum obvenit, illud etiam quoquomodo pensavit magna vis auri à militibus in sui alimoniam, & in reficiendo commeatu diffusi. En modò quanta attentione, quanta animorum sollicitudine, novisque in dies meditationibus idem Senatus connititur, ne per eos, quos natura opposuit, Montes aura ulla pestifera à locis infectis, per aliquam secretam viam regiones has perflet, & inficiat.

Laborabat olim rubigali morbo, Diogene Laertio referente, Agrigentinus Ager, adeò ut fruges omnes media æstate à ventis quibus-



busdam pestiferis è septentrionali plaga, afflatae pessum irent, cui malo, quomodò posset obsisti, prorsus ignorabatur, quis enim modum norit contra ventos pugnandi; Ast Empedocles Civium suorum malam sortem miseratus, quibus annonam pro victu suffurbantur venti, acri, quo pollebat, ingenio facile reperit remedium, iussit enim ad Colles, & Montium vertices, per quos flabant venti, utres, & animalium coria tanquam propugnacula admoveri, quo remedii genere, licet vili, & abjecto, ventorum ferociam compescuit, ac elusit, unde postea à prospero rei eventu Philosophus ille à suis Civibus Κωλυτάνεμα est dictus, h. e. ventorum frænator, ac domitor. Modò, memorando sanè exemplo, ad Alpes Rhætias, quæ Germaniam ab Italia disterminant, generosa sua Pectora opposuit Veneta Nobilitas, ut malum hoc, quod nobis ab Aquilone imminet, arceat, ac repellat. Tam insignibus, ac piis Conatibus pro publica sospitate susceptis solus ille, qui omnibus unicus est, & idem Soter benignus aspiret.







# ORATIO

## DECIMASEXTA

Medicam Peregrinationem, si non necessariam, saltem per utilem ad Artis peritiam, & nominis existimationem comparandam.

*Habita Mensis Novembris MDCCXIV.*



I veri speciem præfert, A. N. quod pro mortalitatis nostræ documento legimus, atque etiam audimus, nempe hanc, quam in terris ducimus, vitam nihil aliud esse, quam quoddam peregrinationis genus, donec Cœlestem Patriam, undè nostri pars melior effluxit, tandem repetamus, mirari haudquam convenit, si cuique ferè mortalium indita sit peregrinandi cupido, & pervisendi, qualis sit Orbis terrarum facies, ut non pauci sint, qui Patriæ commodis valere iussis  
per



per mare , per terras , longas , & difficiles peregrinationes suscipiant . Duplex autem hominum genus , qui hujusmodi cupiditate flagrant , observare mihi contigit ; unum eorum , quibus unius finis est varias regiones percurrere observandi causa , quidquid in iis magnificentum est , veluti Tempia , Theatra , Armamentaria , Cimelia Principum , Simulacra , Picturas , & alia hujusmodi , aliud verò hominum genus est , qui peregrinationes suas instituunt , ut homines potius , quam statuas , & Opera Artificum observent . Utroque commendatione dignos existimare fas est , cum hoc pacto prudentiam , & omnigenam rerum cognitionem sibi comparare valeant , eos tamen magis laudandos crediderim , qui peregrinationem suscipiunt , ut homines doctos , & sapientes conveniant , & admirentur . Hujus secundi generis singulare habemus exemplum , quod memorare lubet ad gloriosissimæ hujus Civitatis immortale decus . Nemo ferè inter eruditos est , qui aliquando vel non legerit , vel non audierit hominem fuisse , qui Titi Livii Patavini fama permotus à Gadibus extremis per Gallias Romam usque venerit , ut tam egregium Scriptorem latialis eloquii promocondum inviseret , quo visco  
de-



debitisq; obsequiis præstitis, nullius alterius rei curiosus observator, in Patriam sollicitè repedarit. Tanta in homine illo fuit amor, & reverentia virtutis, ut quem nec Cæsaris Augusti gloria, nec Roma tunc temporis Mundi miraculum potis fuit allicere, unius tantum docti, & sapientis Viri fama pertraxerit. Quàm uberes fructus ex hujusmodi peregrinatione liceret colligere, satis norant priscis temporibus Philosophi, Poetæ, Oratores, alique liberalium disciplinarum studiosi, qui patriis laribus relictis longa itinera capeßere non verebantur, non ut simpliciter quemadmodum Gaditanus ille Sapientum Virorum externam faciem more Pittorum contemplarentur, sed ut animi dotes intropicerent, & cum iis mutua commercia instituerent.

Septem Græciæ Plantæ h. e. septem illos adeò memoratos Græciæ sapientes, quorum nomina Æternitati fama sacravit, incertis sedibus vagantes omnes errores fuisse, è Scriptorum monumentis satis constat. Præter laudatos sapientes alii quoque in Græcia Scientiarum Parente, & Altrice, licèt nati, & enuriti hoc pruritu peregrinandi urebantur, experiendi causa, qualis esset extra atticos fines



nes Sapientum doctrina . Hanc ob causam olim celebres erant in Ægypto apud Memphim , & Eliopolim Sacerdotes , & Astronomi , in Gallia Duridæ , in India Brachmanes , & Gymnosophistæ . Ipsi quoq; Romani postquam ruditate deposita Liberales disciplinas Civitate donarunt , quamvis in Urbe Græcos homines publicis in Scholis docentes haberent , ut nonnulli Græcam Urbem ferre non possent , Græciam tamen pervestigandi genio quodam ferebantur . M. Tullium Athenas concessisse , ibique ad aliud quod tempus commoratum , suæ Eloquentiæ græco sermone periculum fecisse , ut prædictum fuerit , Eloquentiam spretis Athenis migraturam in Latium . Virgilium , Horatium atque alios clariores Poetas in Græciam navigasse , ut ex ipsis musarum fontibus suavius potarent , nemo est , qui non novit . Eodem quoque studio peregrinandi tenebantur olim antiquiores Medici , imo ipsi Medicinæ Parentes , ut ex eorum scriptis satis liquet , quod etiam nostræ quoque ætate pro more habent Germani , Ungari , aliorumque Nationum Juvenes e suis Academiis dimissi , quos non piget , pedestri etiam itinere clariores Italiae Urbes , & Lycea pervisere , & quos audierint , vel legerint , fama vel scriptis clariores medicos



dicos officiosè convenire, cujus rei testes vos appello, quotquot adestis, Professores spectatissimi. Ex hac igitur perantiqua, & nunquam satis laudabili consuetudine peregrinandi argumentum pro hodierna hac Oratione mihi selegi, ut studiosæ Juventuti rationibus, & exemplis ostenderem, Medicam peregrinationem, si non necessariam, saltem esse perutilem ad Artis peritiam, & nominis existimationem comparandam.

Non inconsultò Peregrinationem, quæ Medicum apta sit perficere, eumque supra vulgarem cæterorum sortem attollere, Medicam esse debere asserui, quæcumque enim alia ad curiositatis gratiam susceptam, esset omninò infrugifera, imò peregrinantem à Medicinæ studio potius averteret, quàm illum instrueret, talem itaque eam esse oportet, qualis Mercatorum, quorum itinera, & navigationes pro unico fine lucrum habent, & commercium. Sicubi ergo quis hujusmodi peregrinationem animo decreverit, ut hujusmodi provinciam prudenter, & cum laude suscipiat, antequam viæ se dedat, instructus sit oportet de natura Locorum, Urbium, ac Regionum, quas velit percurrere, atque apud se nomenclaturam habeat præstantiorum in  
Ar-



Arte Professorum, quos in singulis Urbibus adire debeat, & alloqui, nec non ut literis commendatitiis alicujus Nobilis, & potentis Viri ad alios huiusce ordinis in aliis Civitatibus hospitantes se se communiat, huiusmodi enim Literæ foecundæ sunt, & alias subindè pariunt magno usui futuras ad fortuitos casus, qui peregrinantibus persepè obvii fiunt. Extat in hanc rem elegantissimus libellus de medica peregrinatione, quem Thomas Bartholinus ad Gasparum filium Italiam pervagantem misit, in quo illum admonet, quomodò gerere se debeat, quas Urbes, quæ Lycea quas Bibliotecas, quæ Cimelia, quos doctos Viros convenire debeat, & parentis nomine salvere. Quis autem non videt, peregrinationem hoc modo susceptam perpetuam, & accuratam esse in rei Medicæ Studio exercitationem? ut qui eam ritè administret in adversariis suis diligenter ad notando, quæ ab hoc, vel illo Professore decerpserit, de se affirmare possit, nullam ferè diem perdidisse.

Conferamus, quæso. A. O. progressum, ac Doctrinæ incrementum, quod quis jam Medicus Practicus in Patria Urbe per annum integrum facturum speret, ægros quotidie invilendo, & quandoque cum doctioribus con-

ful-



sultando, cum eo progressu, quem à Medica Peregrinatione eodem temporis spatio alter studiosus impetrare possit. Neminem fore ar-  
bitror, qui mecum non sentiat, longè maio-  
rem profectum consecuturum à Peregrina-  
tione, quàm à Studio accurato, sed in patria  
Urbe intra domesticos parietes, qualem mo-  
dò delineavimus, & quò longiùs à patriis se-  
libus proficiscatur, eò maiore rerum cogni-  
tionem prudentiam, ac famam acquisiturum,  
more scilicet fluminum, quæ quò longiora  
tineri procul à sua origine emetiuntur, per  
varios terrarum tractus discurrendo, nova  
quarum accessione ampliora fiunt, veluti  
Rhenus in Europa, Nilus in Africa, qui

*Æthiopum per mille ruit nigrantia regna*

donec in Mediterraneum procurrens in septem  
cornua divisus aquarum copiis, Mari bellum  
potius indicere, quàm tributum offerre vi-  
deatur.

Sed forsan opponet aliquis, Medicum pere-  
grinantem, & errabundum, non posse mul-  
tùm proficere, propter librorum defectum,  
quum nonnisi paucos intra suas sarcinas possit  
deferre, quos etiam si velit legere, tempus  
incommodum non habeat, quod potius impen-  
dere necesse sit ad corporis defatigati vires



cibo, & somno restaurandas, quàm ad mentem jejunam librorum lectione recreandam, ubi Medico in Urbe aliqua statio variam vitam degenti magna suppetat librorum copia, ut quidquid novi in medica, & Literaria Republica quotidie eveniat, facile perdiscere possit. Num Medico utilius sit, grandem, nobilem habere Bibliothecam libris, quæ ad Jatricam Facultatem, & alias quoque pertinent, instructam, & variorum in Arte Medicorum imaginibus insignitam, & spluteum Archetypum Hippocratem semper apertum ad ostentationes fervantem, an potius expediat, paucos habere libros, sed selectos, quos diurna, & nocturna manu verset, hic mihi disquirere non vacat, tamen proferre liceat, quod de Librorum copia, & quorundam vanitate senserit Seneca. *Distrabit, inquit ille, turba librorum, non instruit, & cum legere non possis, quantum habueris, satis est habere, quantum legas.*

Verum largiamur, Medico otio urbano gaudenti libros non defuturos, ex quibus variis in dies documenta possit perdiscere, aut Librum, ut vetus fert adagium *muti sunt Magistri*, seu ut Socrates apud Platonem agebat dubitantem non satis commodè respondent, ubi Medicus qui



qui peregrinatur, tot magistros sortitur, sed loquentes, & dubia dissolventes, quot reperit doctos, & expertos Viros in singulis Urbibus. Quantum polleat viva vox dicentis, ut altius imprimantur in mente audientis ea, quæ fuerint prolata, nemo non in se ipso experitur. Eadem enim est vivæ vocis virtus, ac vis percussionis, de cujus admiranda potestate tam egregiè scripsit Borellus. Quàm facilè ictu mallei in ære imprimatur imago æternùm duratura, ostendunt antiqua Cæsarium Numismata. Si ergo peregrinanti Medico non tam facilè est lectioni incumbere, perfacilè est doctos, & eruditos homines audire, nec paucos, nec rarò in hac, vel illa Civitate veluti expertos Clinicos, Anatomicos, Chemicos, Botánicos, Chirurgos, Lithotomos, ac interdum in Aulis Principum Archiatros, quos Æsclepiadum familia prognatos supponere æquum est, quibus nempe Regum & Imperatorum concredita est solus.

Quod verò hac in re animadversione dignum est, peregrinantem Medicum hujusce exercitationis numquam capit fastidium: loci enim permutatione, novum semper invenit curiositati suæ pabulum, non secus, ac si ad nova convivia identidem accedat: hoc pacto doctrinarum novitate, eruditione, rerum peri-



tia mentem replebit, ac ut ità dicam se infar-  
ciet. Exiguo igitur labore, solà nimirum offi-  
ciositate, Viros doctos compellendo, ac scisci-  
tando de iis, quæ inter Medicos disquiruntur:  
amplum sibi patrimonium, & Medicam Ency-  
clopædiam comparare poterit.

Nimius essem, si cuncta beneficia, & com-  
moda, quæ ex peregrinatione, tanquam ex  
fonte uberrimo promanant, recensere vellent  
vereri enim possem, ne nimis longè peregrina-  
rentur aures vestræ. Id unum tantummodo  
adnotare liceat, Medicum peregrinantem in  
Patriam rediturum non solum in re Medica  
sed in Historia naturali instructissimum, si at-  
tentè observet, quæ in itinere passim occur-  
runt, & ad sui contemplationem nolenter  
etiam advocant: & quod rei præcipuum prom-  
ptè, & sine mora in scheda, aut Hematite  
adnotet, quæ observatione digna crediderit.  
Plinii Naturalis Historiæ conditoris exem-  
plo, qui, ut in quadam Epistola refert Pliniu  
junior, in itinere ad latus Notarium habe-  
bat, cum libro & pugillaribus; ne illum ca-  
peret oblivio, quæ postea cum ad hospitium  
revertisset in commentaria referebat. Haben-  
dæ singulæ Urbes admiranda quædam, non solum  
superius sed intimius quoque observatione d-  
ex gna,



gna, aliæ quidem mineralium, fossilium, Sulphurum, salium lapidum, marmorum bituminorum, aliæ verò in genere aquarum, in quibus tam varios naturæ lusus admiramur, ut eodem tractu scateant aquæ calidæ, frigidæ, falsæ, dulces, nitrosæ, graveolentes, lapidificæ, mortiferæ, qualis erat aqua stigia apud Nonaerim in Arcadia, graves & ponderosæ, qualis apud Lacum Asphaltitem in Judea, in qua nullum animal mergi poterat. Extant in Civitatibus quibusdam, apud doctos Viros musea, in quibus varia naturæ prodigia, & lusus in quocumque genere, tum mineralium, tum animalium spectantur, in quibus sceleta tum magna, tum parva, tum minima insectorum cujusque generis, ac si placet ipsius quoque acari sceleton, summatim peregrinanti Medico videndi nusquam non occasio præsto est, ut facili negotio, ac brevi temporis intervallo polymathes dici possit, & mereatur. Atqui si isthæc vera sunt, quis mecum non fateatur, Peregrinationem multum pollere ad peritiam in Arte Medica, & nominis existimationem comparandam, ut qui illam ritè absolverit, postea redux in Patriam cæteris emineat Elogio illo Homérico dignus.

*Unus homo Medicus multis æquandus honore est.*



Si verò rationum momento, quas pro nostro asserto in medium protulimus, exemplis quoque pondus aliquod adiicere volumus; quot profectò egregia, & quanta nobis exempla suppetterent, tum vetera, tum nova, quæ si vellemus recensere, nimis in longum protraheretur Oratio: lubet tamen pauca quædam memorare, ut plane constet, quantum utilitatis conferat Medica Peregrinatio. Pro veterum exemplo Galenus Medicorum Coryphæus unus sufficiat. Hic Pergamo Civitate Asiæ, ubi natales suos fortitus est, relicta, totam Græciam perlustravit: in Cyprum navigavit, ubi fodinas vitrioli ingressus est, ut genesim observaret: mox in Palestinam abiit, & exinde Romam pedestri itinere, ut ipse refert profectus est: indè in Macedoniam, & Thraciam pedestri pariter itinere transiit: indè in Lemnium Insulam, ut terræ lemniae compositionem perdisceret, & in has quoque Regiones Venetæ ditionis venit Germaniam visurus: sed Aquilejæ substitit per integram hyemem Commodum Imperatorem ab expeditione germanica redeuntem opperiens, ac in illa Civitate Librum, qui Ars parva dicitur, composuit. Prosper Alpinus Marosticensis inter recentiores olim in hoc Lyceo Professor celeberrimus;



vidit olim, & audiit Virum hunc doctissimum Civitas hæc in Horto sedentem, magnà Juvenum, & professorum coronà præcinctum Vegetabilis Regni divitias explicantem, tam ingenti confluxu, ut nunquam majorem Auditorum frequentiam Patavinus Hortus adspexerit. At quomodò tantum venerationis, & famæ illum sibi adscivisse credendum est, num in Urbe aliqua Medicinam factitando, five in aliquo Lyceo professorium munus exercendo? haud quaquam. Soli navigationi in Ægyptum cum Gregorio Hemo Patricio Veneto nominis sui celebritatem refert acceptam. Cairi enim Urbis populosissimæ ad plures annos commoratus, earum gentium mores, morbos, medendi methodum, & varia remedium genera commodè observavit, & in commentaria sua rettulit: postea in Patriam, & ad hanc Urbem redux, peregrinis mercibus onustus edito elegantissimo Libro *de medicina Ægyptiorum & Plantis Ægypti*, Horti Pæfecturam navigationis suæ portum, ac pritaneum, magno cum plausu obtinuit.

Duo clarissime Bataviæ lumina præterire non liceat, Guglielmum Pisonem, & Carolum Bontium; quo studio in censu illustrium Virorum nomina sua reposuerint satis loquuntur egre-



egregia, quæ reliquere nobis monumenta  
 suarum peregrinationum, prior quidem *De*  
*Indiæ utriusque re Naturali, & medica*, alter  
 verò *Historiam Naturalem, & medicam Orientalis*  
*Indiæ*; ex quibus quamplurima medicamenta,  
 quæ ad nos asportantur, licet eruere ad Euro-  
 peorum morbos sanandos.

Quid verò de clarissimo Turnefortio, quem  
 è vivorum statione nuper sublatum dolent  
 Botanici & Litteratores, referam? Quanta in-  
 dagine magnus iste peregrinator per Euro-  
 pam, Asiam, & fines terrarum extremos ab-  
 ditiora loca in Sylvis, Vallibus, & præru-  
 ptis montium jugis penetrarit, & novis, &  
 ignotis Plantis Botanicam ditavit, palam fa-  
 ciunt elegantissima illius opera, tam bellè, tam  
 decorè conscripta, & delineata, ut non minus  
 oculos, quam mentem oblectent. Antequam  
 Turnefortii nomen claresceret, quis non pu-  
 tasset ex laboribus tot illustrium Virorum om-  
 ninò, & ex asse absolutam Plantarum Histo-  
 riam, ut indagini nullus amplius esset locus:  
 nec aliud Botanicis agendum esset, quam ut  
 confusam Plantarum suppellectilem in suas  
 classes digererent. Antea si quis fortè her-  
 bulam unam, vel alteram reperisset, quàm  
 in cæterarum serie reponere non esset tam  
 fa-



facile, quantùm sibi plaudebat; modo postquam Vir iste laudatissimus spartam hanc tam egregiè exornavit, ac millenis Plantis Botanica auxit, fatis ostendit, magnam esse vegetabilis regni amplitudinem, non minus quàm mineralis, & Animalis. Non est ergo quòd naturalium rerum scrutatores, qui plurimi sunt, passim conquerantur, occupatum esse veritatem, nec habere circa quod industriam suam exerceant, nisi circa res leviculas, ac nullius usus, cum ingens pateat campus de medica Republica, tum in Practicis, tum in Theoricis benè merendi mille modi, ac præsertim si frequentior sit peregrinatio. De hoc itaque tam magno, tam celebri peregrinatore, qui sibi tantum famæ aquisivit eundo, proferre liceat quod de Ulyssè scripsit Ovidius

*Si minus errasset, notus minus esset Ulysses.*

Agite ergo Studiosissimi Juvenes, vobis enim suaforiam hanc conscripsi, agite inquam, & animos intendite, vos non pigeat, postquam Doctorali Laurea decorati penes doctum aliquem, & eruditum Professore medicam Praxim delibaveritis, ne pigeat peregrinationem aliquam suscipere, si non à Gadibus usque ad Auroram, & Gangem, saltem Italiam nostrâ perlustrare, & in singulis Urbibus quos ac-

ce-



ceperitis doctrinà , & experiencià excellere adeundo , & ab iis aliquid de re medica fiscitando : sic enim Vobis arduum non erit magnam præceptionum, & remediorum messem colligere , quæ postea ubi in Patriam redieritis magno usui futura sit . Quod si ob rem domi angustam, ac temporum iniquitatem omnia commoda ad iter capeffendum pronominis vestri dignitate non suppettant , ne pudeat Galeni exemplo pedestrem peregrinationem suscipere , sive durum , & reprehensione dignum vobis non videatur , aliquid de patrimonio convellere . Id enim non esset rem familiarem prodigere , sed foenerari quantum enim ex illo fuerit abrasum , tantundem, imo longè plus suo tempore reponet medica Peregrinatio .

*F I N I S.*



